













HULDRICI ZUINGLII

OPERA

COMPLETA EDITIO PRIMA

CURANTIBUS

MELCHIORE SCHULERO ET IO. SCHULTHESSIO

VOLUMEN QUARTUM [Bd.] 4

LATINORUM SCRIPTORUM

PARS SECUNDA

DIDACTICA ET APOLOGETICA

AB ANNO 1526 USQUE AD OBITUM AUCTORIS

CETERAQUE VARIA

POËTICA PAEDAGOGICA PHILOLOGICA HISTORICA

ACCEDUNT

SERMONES VULGARES IN PSALMOS

LINGUA PLERUMQUE VERNACULA.

TURICI EX OFFICINA SCHULTHESSIANA

1841.

INDEX.

AD CAROLUM ROMANORUM IMPERATOREM GERMANIAE COMITIA AUGUSTAE CELEBRANTEM

FIDEI HULDRICI ZUINGLII RATIO

Controversia de ratione Sacrae Coenae per Lutheri infinitam acerbitatem et obstinationem tam insanabilis evaserat, ut non solum Zuinglii doctrina sed etiam Buceri aliorumque Theologorum superioris Germaniae, ad Lutheri usum loquendi conformata, condemnaretur a Lutheranis ac reiiceretur. Principes et civitates Lutheri doctrinae addictae, excepto Philippo Hassiae Landgravio, civitates superiores iuxta cum Protestantibus Helvetiae Confoederatae omni politica ecclesiasticaque communione excludebant atque eos Comitiis Augustanis et Confessione ibi 25. Ian. proposita Caesaris permittebant severitati, cui quidem et Catholicis partibus nihil laetius accidere poterat. De qua re ad Zuinglium Bucerus post 23. Iunii 1530. ex Augusta sic retulit: „Nihil potest fingi Lutheranorum in nos odio implacabilius, nihil aeque atrox ac dirum."

Quatuor illae civitates Germaniae superioris neque a Lutheranis nec vero a Catholicis partibus vel in praesentissimo periculo ullam suae conscientiae vim inferre passae sunt ac propria Fidei confessione Caesari tradita susceperunt eius offensionem. Zuinglius autem, quum non vacaret communibus consiliis decretisque evangelicarum ecclesiarum Helvetiae universarum confessionem Caesari et Comitiis tradere atque etiam libertatem sui populi rebus in sacris externo imperio submittere vereretur: attamen

hanc occasionem praetermittere nolebat, quin Caesari et imperio Germaniae suam quoque doctrinam per sese Confessionis nomine offerret. Sturmius quoque (vid. Sturm. ad Zu. 31. Mai. et 20. Iun.) eum ad hoc negotium evocaverat; sic tamen ut eius in votis esset, scriptum id genus nomine universarum civitatum Helvetiae reformatarum tradi. Zuinglius hanc confessionem fidei Latine et Germanice conscriptam per proprium nuntium ad Comitia Augustam misit, quo eodem legati quinque Cantonum convenerant atque cum Caesare et catholicis Imperii Principibus ex adversa parte clanculum agebant. Quid quod Zuinglius Philippo Landgravio ultro promiserat, si exposceret, semet ipsum sistere Augustae.

De eventu Bucerus et Capito (12. Iul. 1530) ad Fratres Argentoratenses: „Octavo die Iulii Z. rationem fidei suae masculam ad Caes. proprio nuntio misit. Quo omine sit excepta facile videtur expendenti commotos Papistarum animos.“ De eo, quod maximae fuit invidiae apud Lutheranos aeque et Catholicos, videatur Capito ad Zu. 23. Iul. 1530, et Bucerus ad Zu. 23. Iul. 1530. Idem 29. Aug. ad Ambros. Blaurerum et Io. Zuiccium: „Hoc sane experimur verum, quod pridem Gratianus (Zu.) scripsit, sola constantia frangi posse omnes hostium conatus.“

Prima editio lucem vidit Tiguri apud Christ. Frosch. MDXXX mense Iulio, 4 foliis quadruplicatis. Alterius inscriptio brevior est: „Ad Car. Rom. Imp. Fidei Huldrici Zuinglii ratio,“ cui alligatus est hic libellus: Ad Illustrissimos Germaniae Principes Augustae congregatos epistola. Haec autem editio non, ut per errorem typographicum numeri paginarum ferunt, 26, sed 35 paginis constat octava quam dicunt forma. Germanica versio cum prima editione prodiit eodem tempore, sic inscripta: „Ad Carolum, Imperatorem Romanum, nunc Augustae degentem, Confessio Fidei ab Huldrico Zuinglio“ cum icone Caesaris ligno incisa, nullo anni numero. Istud scriptum extat etiam in Opp. II, 538 a — 544 b.

Expectabamus anxii, *Carole, iustitiae sacer Caesar!* qui evangelium in urbibus Christianae civitatis praedicamus, quando a nobis quoque fidei nostrae, quam et habemus et confitemur, ratio peteretur. Quumque ad hunc modum erecti stamus, adfertur magis rumore quam certo nuntio, multos iam adornavisse religionis ac fidei suae tenorem ac summam, quam tibi offerant. Hic nos inter sacrum et saxum sumus: hinc enim veritatis amor et publicae pacis studium extimulant, quo magis et ipsi faciamus quod alios facere videmus; isthinc autem fugax occasio terret, quum quod agi omnia celerius ac veluti perfunctorie, tuae properationis causa, oporteat (nam et eandem fama nuntiat); tum quod, qui per urbes et agros dictae civitatis verbi divini praecones agimus; longius constituti ac dissiti sumus, quam ut tam brevi tempusculo coire, et quid maxime conveniat ad celsitudinem tuam scribere, deliberare possimus. Ut igitur aliorum deinde confessionem, imo eorundem ab adversariis etiam confutationem vidimus, quae tamen praeparatae videntur, antequam quicquam ab eis postulatum esset: iam importunum fore non credidi, si *solus* meae fidei rationem, citra *gentis meae* praeiudicium, protinus exponerem. Nam si uspiam lente festinandum, hic certe propere festinandum fuit, ne transmisso per oscitantiam negotio aut in periculum suspecti silentii aut arrogantis negligentiae incideremus. En igitur tibi, *Caesar*, hac lege fidei meae summam, ut simul tester, non horum modo articulorum, sed omnium quae unquam scripsi aut per dei bonitatem scripturus sum iudicium nulli uni nullisque paucis, sed toti ecclesiae Christi, quatenus illa ex verbi et spiritus dei tum praescripto tum adflatu pronuntiat, me crediturum ac permissurum esse.

FIDEI H. ZUINGLII RATIO

Primo igitur et credo et scio unum ac solum esse deum, eumque esse natura bonum, verum, potentem, iustum, sapientem, creatorem et curatorem rerum omnium visibilium atque invisibilium; esse patrem, filium et spiritum sanctum, personas quidem tres, sed essentiam horum unam ac simplicem. Et omnino iuxta expositionem symboli tam Niceni quam Athanasiani per singula de numine ipso deque nominibus sive personis tribus sentio. Filium carnem adsumsisse credo et intelligo, ipsum humanam naturam, imo totum hominem, qui ex corpore et animo constat, vere ex immaculata perpetuaque virgine Maria adsumsisse; id autem hoc modo, ut totus ille homo in unitatem hypostaseos sive personae, filii dei, sic sit adsumtus, ut peculiarem personam homo non constituerit, sed adsumtus sit ad filii dei personam inseparabilem, individuam et indissociabilem. Quamvis autem utraque natura, divina videlicet et humana, ingenium ac proprietatem suam sic servaverit, ut utraque in illo vere et naturaliter esse deprehendatur: attamen naturarum distinctae proprietates et opera personae unitatem non dissociant. Non magis quam in homine animus et caro duas personas constituunt: ut enim ista natura diversissima sunt, ita diversis quoque proprietatibus et

operationibus pollent. Attamen homo, qui ex his consistit, non duae personae, sed una est. Ita deus et homo unus est Christus, dei ab aeterno et hominis a temporis dispensatione in aeternum filius. Una persona, unus Christus; perfectus deus, perfectus homo. Non quod una natura altera fiat aut inter se confundantur, sed quod utraque propria maneat et unitas tamen personae ista proprietate non disiungatur. Hinc unus et idem Christus pro humanae naturae ingenio vagit, incrementum capit, proficit sapientia, esurit, sitit, edit, bibit, aestuat, alget, vapulat, sudat, vulneratur, trucidatur, timet, tristatur, et cetera quae ad mulctam et poenam peccati attinent fert: nam ab ipso peccato alienissimus est. Pro divinae autem naturae proprietate cum patre summa et ima temperat, omnia permeat, sustinet ac fovet, caecos illustrat, claudos restituit, mortuos evocat, hostes verbo sternit, mortuus ipse vitam resumit, coelos petit, spiritum sanctum de suo mittit. Et haec omnia unus idemque Christus, quantumvis natura ingenioque diversa facit, una dei filii persona manens, ita ut etiam, quae divinae sunt naturae propter personae unitatem ac perfectionem, nonnunquam humanae tribuantur, et quae humanae sunt, interdum de divina dicantur. Filium hominis sese dicebat esse in coelo, cum corpore coelos nondum conscendisset; pro nobis perhibet Christum passum esse Petrus, quum sola humanitas pati possit. Sed propter personae unitatem vere dicitur: Et filius dei passus est, et filius hominis dimittit peccata. Nam et is, qui filius dei et hominis una persona est, pro humanae naturae proprietate passus est; et is, qui filius dei et hominis una persona est, pro divinae naturae proprietate peccata dimittit. Quomodo dicimus hominem esse sapientem, quum tamen ex corpore non minus quam animo constet, et corpus a sapientia sit alienissimum, imo scientiae et intelligentiae venenum ac remora. Et rursus eundem dicimus esse vulneribus conscissum, quum solum corpus recipere vulnera possit, animus minime. Hic nemo dicit ex homine duas personas fieri, quum utrique parti suum tribuitur; et rursus nemo dicit naturas confundi, quum de toto homine id praedicatur quod propter personae quidem unitatem totius est, sed propter partium proprietatem unius tantum. Paulus dicit: Quum aegroto: potens sum. Quis vero est qui aegrotat? Paulus. Quis recte simul valet? Paulus. At hoc nonne disparatum, inconstans et intolerabile est? Minime! non enim est una natura Paulus, quanquam est una persona. Quum ergo dicit: Aegroto, ea certe persona loquitur quae Paulus est; sed quod dicitur non de utraque natura vel praedicatur vel intelligitur, sed de carnis aegritudine tantum. Et quum dicit: Potens ac salvus sum, certe Pauli persona loquitur, sed animus tantum intelligitur. Sic filius dei moritur, is certe qui pro personae unitate ac simplicitate et deus et homo est; sed pro humanitatis tantummodo ratione moritur. Ad hunc ergo modum non solus sentio, sed sic senserunt tam de ipso numine quam de personis deque adsumta natura orthodoxi omnes, sive prisci sive neoterici; sic sentiunt qui veritatem etiamnunc agnoscunt.

Secundo scio numen istud summum, quod deus meus est, libere constituere de rebus universis, ita ut non pendeat consilium eius ab ullius creaturae occasione: hoc enim est mutilae illius humanae sapientiae

proprium praecedente discursu aut exemplo statuere. Deo autem, qui ab aeterno usque in sempiternum universa unico et simplici intuitu inspicit, non est opus ulla ratiocinatione, aut factorum expectatione; sed ex aequo sapiens, prudens, bonus etc. libere constituit ac disponit de rebus universis: sua enim sunt quaecunque sunt. Hinc est, ut, quamvis sciens ac prudens hominem principio formaret qui lapsurus erat: simul tamen constitueret filium suum humana natura amicire, qui lapsum repararet. Hac enim ratione bonitas illius ex omni parte manifestata est. Ista enim quum in se misericordiam et iustitiam contineat, iustitiam exseruit cum transgredientem paradisi beatis laribus eiecit pistrino humanae miseriae et compedibus aegritudinum alligavit, quum lege, quam nunquam perfecturus erat quantumvis sancta esset, constrinxit. Hic enim bis miser discebat non modo carnem in aerumnam incidisse, sed mentem quoque metu transgressae legis excarnificari. Quum enim secundum spiritum videret legem esse sanctam, iustam et divinae mentis nuntiam, ut quae nihil quam quod aequitas suaderet praeciperet; simul tamen videret factis mentem legis sese non implere: suo ipsius iudicio damnatus, abiecta spe potiundae felicitatis, desperabundus a conspectu dei abiens, nihil nisi aeterni cruciatus dolorem ut laturus esset meditabatur. Hactenus manifestabatur dei iustitia. Porro quum tempus esset prodendae bonitatis, quam non minus ab aeterno quam iustitiam ostendere constituerat: misit deus filium suum ut naturam nostram ex omni parte, quam qua ad peccandum propendet, adsumeret; ut frater et par nobis factus mediator esse posset, qui divinae iustitiae, quam sacrosanctam et inviolatam permanere oportet non minus quam bonitatem, pro nobis perlitaret; quo certus esset mundus et de placata iustitia et de praesente dei benignitate. Cum enim filium suum nobis et pro nobis dederit: quomodo non omnia nobis cum illo et propter illum donabit? Quid est quod nobis de illo non debeamus promittere qui sese huc demisit, ut non tantum nobis par, sed totus quoque noster esset? Quis divinae bonitatis opes et gratiam satis miretur, qua sic dilexit mundum, hoc est, humanum genus, ut filium suum exponeret pro illius vita? Hos Evangelii fontes ac venas esse duco; hanc unicam et solam languentis animi medicinam, qua et deo et sibi restituitur. Nihil enim illum certum de gratia dei facere potest quam deus ipse. Ille autem tam liberaliter, tam abunde tamque prudenter totam in nos effudit, ut iam residuum nihil reliquerit, quod desiderare possimus; nisi supra summum et supra redundantem abundantiam quis quid requirere audeat.

Tertio scio nullam aliam esse expiandorum scelerum hostiam quam Christum (nam ne Paulus quidem pro nobis est crucifixus); nullum aliud pignus divinae bonitatis et clementiae certius esse ac indubitatius (nihil enim aeque firmum ac deus est); et non est aliud nomen sub sole in quo nos oporteat salvos fieri quam Iesu Christi. Relinquuntur ergo hic cum operum nostrorum iustificatio et satisfactio, tum sanctorum omnium, sive in terra sive in coelis degentium, de bonitate et misericordia dei expiatio aut intercessio. Hic enim unus ac solus mediator dei et hominum est, Deus et homo Christus Iesus. Constat autem et firma manet dei electio. Quos enim ille elegit ante mundi constitutionem,

sic elegit ut per filium suum sibi cooptaret. Ut enim benignus et misericors, ita sanctus et iustus est. Resipiunt ergo universa opera illius misericordiam et iustitiam. Iure igitur et electio utramque resipit. Bonitatis est elegisse quos velit; iustitiae vero electos sibi adoptare et iungere per filium suum, hostiam ad satis dandum divinae iustitiae pro nobis factum.

Quarto scio tritavum illum nostrum primum parentem φιλαυτίᾳ, hoc est sui ipsius amore huc tractum, suggerente perniciosum consilium per invidiam diabolo, ut deo par fieri cuperet. Hoc crimen cum designasset: vetitum ac perniciosum pomum depransus est, quo in culpam reatumque capitalis supplicii incidit, perduellis et hostis dei sui factus. Hunc ergo perdere cum posset vel aequitate iubente, melior tamen deus supplicium in conditionem vertit, ut servum faceret quem plectere potuisset. Hanc conditionem nec ipse nec quisquam ex ipso natus quum tollere posset (nequit enim servus nisi servum gignere): omnem posteritatem exitiali gustu in servitutem coniecit.

Hinc de originali peccato sic sentio: Peccatum vere dicitur cum contra legem itum est: ubi enim non est lex, ibi non est praevaricatio; et ubi non est praevaricatio, ibi non est peccatum proprie captum, quatenus scilicet peccatum, scelus, crimen, facinus aut reatus est. Patrem igitur nostrum peccavisse fateor peccatum, quod vere peccatum est, scelus scilicet, crimen ac nefas. At qui ex isto prognati sunt, non hoc modo peccarunt: quis enim nostrum in paradiso pomum vetitum depopulatus est dentibus? Velimus igitur nolimus, admittere cogimur, peccatum originale ut est in filiis Adami non proprie peccatum esse; quomodo iam expositum est: non enim est facinus contra legem. Morbus igitur est proprie et conditio. Morbus, quia sicut ille ex amore sui lapsus est ita et nos labimur; conditio, quia sicut ille servus est factus et morti obnoxius, sic et nos servi et filii irae nascimur et morti obnoxii. Quanquam nihil morer hunc morbum et conditionem Pauli more adpellari peccatum; imo tale est peccatum, ut quicunque in eo nascuntur hostes et adversarii dei sint: huc enim trahit illos nativitatis conditio, non sceleris perpetratio, nisi quantum hoc semel perpetravit primus parens. Vera igitur perduellionis et mortis causa est perpetratum ab Adamo crimen ac nefas, atque hoc vere est peccatum. At peccatum istud, quod nobis adhaerescit, et vere morbus et conditio, imo necessitas est moriendi. Hoc tamen nunquam futurum fuisset per nativitatem, nisi crimen nativitatem vitiasset. Criminis igitur tanquam causae, non nativitatis, est humana calamitas; nativitatis vero non aliter quam eius quod ex fonte et causa sequitur. Confirmatio huius sententiae auctoritate et exemplo nititur. Paulus Rom. 5: 6. sic loquitur: Si enim propter unius peccatum mors imperium obtinuit per unum: multo magis etc. Hic videmus peccatum proprie capi. Unus enim Adam est, cuius culpa mors cervicibus nostris imminet. Cap. 3: 23. sic inquit: Omnes enim peccaverunt, et egent gloria, hoc est bonitate et liberalitate dei. Hic peccatum pro morbo, conditione et nativitate accipitur, ut omnes peccare dicamur, etiam antequam profundamur in lucem, hoc est in conditione esse peccati et mortis, etiam priusquam

actu peccemus. Quae sententia irrefragabiliter firmatur eiusdem iterum verbis Rom. 5: 14. Sed obtinuit aut pervasit mors ab Adam usque ad Mosen, in illos quoque qui non similiter atque Adam transgressus erat peccavissent. En nobis mortem, etiamsi non peccaverimus quomodo Adamus! Quamobrem? Quia ille peccavit. Nos autem cum non hoc modo peccaverimus: cur mors populatur? Quia ille mortuus est propter peccatum; et mortuus, hoc est: morti adiudicatus, nos generavit. Morimur ergo nos, sed illius culpa; nostra vero conditione et morbo, aut si mavis peccato, verum improprie capto. Exemplum tale est: Bello captus perfidia et inimicitia commeruit ut servus teneatur. Qui ex illo progenerantur *οἰκέται*, hoc est vernae, aut dominatoris fiunt servi, non culpa, reatu aut crimine; sed conditione quae culpam secuta est: nam parens, ex quo nati sunt, scelere hoc commeruerat. Nati scelus non habent, sed poenam ac mulctam sceleris, puta conditionem, servitutem et ergastulum. Ista si scelus libet adpellare, ideo quia pro scelere infliguntur, non veto. Istud originale peccatum per conditionem et contagionem agnasci omnibus qui ex adfectu maris et feminae gignuntur, agnosco; et nos esse natura filios irae scio, sed gratia, quae per secundum Adamum, Christum, casum restituit, inter filios dei recipi non dubito. Sed eo modo qui iam sequitur.

Quinto: Hinc constat, si in Christo secundo Adamo, vitae restituimur, quemadmodum in primo Adamo sumus morti traditi, nos temere damnare Christianis parentibus natos pueros, imo gentium quoque pueros. Adamus enim si perdere universum genus peccando potuit, et Christus moriendo non vivificavit et redemit universum genus a clade per istum data: iam non est par salus reddita per Christum; et perinde (quod absit) nec verum: Sicut in Adamo moriuntur omnes, ita in Christo omnes vitae restituuntur. Verum quomodocunque de gentilium infantibus statuendum sit, hoc certe adseveramus, propter virtutem salutis per Christum praestitae praeter rem pronuntiare qui eos aeternae maledictioni addicunt, quum propter dictam reparationis causam, tum propter electionem dei liberam, quae non sequitur fidem, sed fides electionem sequitur: de quo sequenti articulo. Qui enim ab aeterno electi sunt, nimirum et ante fidem sunt eleci. Non debent igitur temere a nobis damnari qui fidem per aetatem non habent: nam etsi istam nondum habeant, nobis tamen abscondita est dei electio, apud quem si electi sunt praecipitanter iudicamus de incompertis. Veruntamen de Christianorum infantibus aliter definimus: videlicet Christianorum infantes quotquot sunt de ecclesia populi dei esse eiusque ecclesiae partes et membra. Quod hac via probamus: Cunctorum ferme prophetarum testimoniis promissum est ecclesiam ex gentibus ad ecclesiam populi dei esse congregandam. Et Christus ipse: Venient, inquit, ab ortu et occasu, et recumbent cum deo Abrahami, Isaaci et Iacobi; et: Ite in orbem universum etc. Ad ecclesiam autem Iudaeorum aeque pertinebant infantes ipsorum atque ipsi Iudaei. Nihilo igitur minus pertinent nostri infantes ad ecclesiam Christi quam olim Iudaeorum: nam si secus, iam non rata esset promissio, quia non aeque recumberemus cum deo sicut Abrahamus. Ille enim cum iis qui etiam secundum carnem ex eo nati

erant ecclesiae accensebatur. Si autem nostri non sic connumerantur parentibus: iam sordidus et invidus esset in nos Christus quum nobis negaret quod priscis donavisset: quod impium est dicere. Alias enim irrita fieret omnis de vocatione gentium prophetia. Christianorum igitur infantes cum non minus sint de visibili ecclesia Christi quam adulti, constat non minus esse de eorum numero quos nos electos iudicamus quam parentes. Hinc fit ut impie ac praesumtuose agant iudices, qui Christianorum infantes diris devovent; quum tot aperta scripturae testimonia reclament, quae ecclesiam ex gentibus non iam parem, sed ampliorem Iudaeorum futuram praedicant. Quae omnia nunc fient planiora quum de ecclesia fidem nostram exponemus.

Sexto igitur de ecclesia sic sentimus, *ecclesiam* in scripturis varie accipi: pro electis istis qui dei voluntate destinati sunt ad vitam aeternam. De qua ecclesia Paulus loquitur, quum dicit eam nec rugam habere nec maculam. Haec soli deo est nota: is enim, iuxta Solomonis verbum, solus novit corda filiorum hominum. Sed nihilo minus qui *huius* ecclesiae membra sunt, se ipsos quidem, quum fidem habeant, electos, et primae huius ecclesiae membra esse norunt; verum alia a se membra ignorant. Sic enim scriptum est in Actis: Et crediderunt quotquot ad vitam aeternam ordinati erant. Qui ergo credunt, ad vitam aeternam sunt ordinati. At qui *vere* credant, nemo novit nisi is qui credit. Hic ergo iam certus est se dei electum esse. Habet enim spiritus arrhabonem, iuxta Apostoli verbum, quo desponsus et obsignatus scit se esse vere liberum et filium familiae factum, non servum. Spiritus enim ille fallere non potest. Qui si dictat nobis deum esse patrem nostrum, et nos illum certi et intrepidi patrem adpellamus, securi quod sempiternam hereditatem simus adituri, iam certum est spiritum filii dei esse in corda nostra fusum. Certum est igitur eum esse electum qui tam securus et tutus est: qui enim credunt ad vitam aeternam ordinati sunt. Quum autem multi sint electi qui fidem nondum habent (diva enim Θεοτόκος, Ioannes, Paulus, dum adhuc infantes essent ac parvuli, an non electi erant, et hoc ante mundi constitutionem? At istud neque ex fide neque revelatione sciebant. Matthaeus, Zacchaeus, Latro et Magdalene, an non electi erant ante mundi constitutionem? Attamen hoc nescierunt, usque dum spiritu illustrati et ad Christum a patre tracti essent. Ex his ergo colligitur ecclesiam istam primam soli deo esse cognitam, et solos istos qui fidem certam et inconcussam habent, scire sese esse huius ecclesiae membra.

Sumitur iterum ecclesia universaliter pro omnibus scilicet qui Christi nomine censentur, hoc est qui Christo nomen dederunt, quorum bona pars Christum palam per confessionem aut sacramentorum participationem agnoscit, in pectore tamen ab illo vel abhorret vel illum ignorat. De hac igitur ecclesia esse credimus quotquot fatentur Christi nomen. Sic Iudas erat de ecclesia Christi et omnes ii qui retro pedem a Christo retulerunt. Iudas enim ab Apostolis non minus credebatur de ecclesia Christi esse quam Petrus aut Ioannes, quum nihil minus esset. Christus autem sciebat qui essent eius, et qui essent diaboli. Est igitur ecclesia ista sensibilis, quantumvis non conveniat in hoc mundo, omnes qui

Christum confitentur, etiamsi reprobi multi sint inter eos. Nam Christus depinxit illam lepida decem virginum, quarum pars prudentes, pars fatuae erant, allegoria. Haec etiam nonnunquam electa vocatur, etiamsi non sit prima ista quae est sine macula; sed quemadmodum est hominum iudicio ecclesia dei, propter sensibilem confessionem, sic eadem ratione adpellatur electa. Nos enim et fideles et electos esse iudicamus qui Christo nomen dant. Sic locutus est Petrus: Electis qui passim sunt per Pontum etc. Ubi *electorum* nomine cunctos intelligit qui de ecclesiis, ad quas scribit, erant, non eos tantum qui proprie a domino erant electi: ut enim isti Petro ignoti erant, ita non potuerat ad illos scribere.

Capitur postremo ecclesia pro quovis particulari coetu huius universalis ac sensibilis ecclesiae, ut ecclesia Romana, Augustana, Lugdunensis. Sunt et aliae acceptiones ecclesiae, quas nunc nes non est adnumerare. Hinc igitur credo unam esse ecclesiam eorum qui eundem habent spiritum, per quem certi redduntur, quod veri filii familiae dei sint; et haec est ecclesiarum primitiae. Hanc credo in veritate non errare; puta in primis istis fidei fundamentis in quibus cardo versatur. Credo et universalem sensibilem unam esse, dum veram confessionem istam, de qua iam dictum est, tenet. Credo etiam de hac ecclesia esse, quicunque nomen illi dant iuxta verbi dei praescriptum et promissionem. Credo infantem Isaacum, Iacobum, Iudam, et omnes qui de semine Abrahami erant, eos quoque infantes, quorum parentes inter ecclesiae primordia praedicantibus Apostolis ad Christi partes concedebant, de hac esse ecclesia. Nam Isaacus et reliqui veterum nisi fuissent: non recepissent, ecclesiae tesseram. Cum ergo isti de ecclesia fuerint: fuerunt et primitivae ecclesiae infantes ac parvuli. Quocirca credo et scio baptismi sacramento signatos. Fatentur enim et infantes, quum ecclesiae offeruntur a parentibus, imo cum eos promissio offert, quae non minor est nostris infantibus facta, sed multo amplior et crebrior quam priscis Hebraeorum infantibus. Atque ista sunt fundamenta de baptizandis et ecclesiae commendandis infantibus, contra quae omnia Catabaptistarum tela et machinae nihil possunt. Non enim soli qui credunt baptizandi sunt, sed qui fatentur, qui de ecclesia ex verbi dei promissis sunt. Nam alias neminem omnino quisquam etiam Apostolorum baptizaret, cum nulli Apostolorum certo constet de fide fatentis ac nomen dantis. Simon enim praestigiator, Ananias, Iudas quoque et qui non? baptizati sunt quum nomen darent, fidem tamen non haberent. Contra Isaacus infans circumcisus est, quum non daret nomen neque crederet, sed nomen dabat promissio. Cum autem nostri infantes eo loco sint quo Hebraeorum: iam et nostrae ecelesiae promissio nomen dat et fatetur. Vere igitur baptismus perinde ac circumcisio (loquimur autem de sacramento baptismi) nihil nisi alterum istorum, aut confessionem sive nominis dationem aut foedus sive promissionem, requirit. Quae et ipsa omnia paulo clariora fient ex his quae sequuntur.

Septimo: Credo, imo scio omnia sacramenta, tam abesse ut gratiam conferant, ut ne adferant quidem aut dispensent. Qua in re forsan audacior tibi videri potero, potentissime Caesar! sed stat sententia.

Nam gratia ut a spiritu divino fit aut datur (loquor autem Latine, quum *gratiae* nomine utor pro venia scilicet, indulgentia et gratuito beneficio): ita donum istud ad solum spiritum pervenit. Dux autem vel vehiculum spiritui non est necessarium: ipse enim est virtus et latio qua cuncta feruntur, non qui ferri debeat; neque id unquam legimus in scripturis sacris, quod sensibilia, qualia sacramenta sunt, certo secum ferrent spiritum; sed si sensibilia unquam lata sunt cum spiritu: iam spiritus fuit qui tulit, non sensibilia. Sic quum ventus vehemens ferretur, simul adferebantur linguae venti virtute; non ferebatur ventus virtute linguarum. Sic ventus adferebat coturnices, et locustas auferebat; sed nullae coturnices aut locustae unquam tam volucres fuerunt ut ventum adportarent. Sic cum spiritus tam grandis ut etiam tollere montes posset transit praeter Heliam; non tamen in spiritu dominus ferebatur etc. Breviter, spiritus ubi vult spirat, hoc est, sic flat ventus ut fert ingenium; et vocem eius quidem audis, sed nescis unde oriatur aut ubi sidat. Sic est omnis qui nascitur ex spiritu; hoc est: invisibiliter et insensibiliter illustratur ac trahitur. Veritas haec locuta est; non igitur hac mersione, non hoc haustu, non illa deunctione adfertur spiritus gratia. Nam si sic: iam sciretur quomodo, ubi, quo et in quod ferretur spiritus. Nam si sacramentis alligata est gratiae praesentia et efficacia, iam quo adferuntur operantur; quo non adhibentur, flaccescunt omnia. Nec est ut materiam sive subiectum causentur Theologi quod huius dispositio ante requiratur; hoc est: quod Baptismi aut Eucharistiae gratia (sic loquuntur isti) ei conferatur qui prius sit ad hoc adornatus. Nam is qui istam per sacramenta gratiam recipit secundum ipsos, aut ipse se ipsum ad hoc praeparat aut a spiritu praeparatur. Si se ipsum praeparat: ergo et ex nobis aliquid possumus, et gratia praeveniens nihil est. Si a spiritu praeparatur ad gratiae acceptionem: quaero an hoc etiam fiat sacramento duce an extra sacramentum. Si sacramento mediante: ergo sacramento paratur homo ad sacramentum; et sic usque ad infinitum processus erit: nam semper ad sacramenti praeparationem requiretur sacramentum. Si vero citra sacramentum praeparamur ad sacramentalis gratiae acceptionem: ergo spiritus sua benignitate adest ante sacramentum, et perinde gratia et facta et praesens est antequam adferatur sacramentum. Ex quibus hoc colligitur (quod in re sacramentaria volens ac libens admitto), sacramenta dari in testimonium publicum eius gratiae, quae cuique privato prius adest. Sic datur Baptismus coram ecclesia ei, qui priusquam illum recipiat, religionem Christi aut confessus est aut promissionis verbum habet, quo scitur illum ad ecclesiam pertinere. Hinc est ut cum adultum baptizamus: rogemus num credat. Si respondet: Etiam: tunc tandem recipit baptismum. Ergo fides adfuit antequam baptismum reciperet. Non igitur datur fides baptismo. Si vero infans offeratur: quaeritur an parentes illum offerant ad baptizandum. Quumque responderint per testes, velle ut baptizetur, tunc tandem baptizatur infans. Et hic antecessit dei promissio, quod nostros infantes non minus reputet de ecclesia quam Hebraeorum. Cum enim hi offerunt qui de ecclesia sunt: iam baptizatur infans hac lege, ut quandoquidem ex Christianis natus sit intra ecclesiae

membra divina promissione reputetur. Baptismo igitur ecclesia publice recipit eum, qui prius receptus est per gratiam. Non ergo adfert gratiam baptismus; sed gratiam factam esse ei cui datur ecclesia testatur. Credo igitur, o Caesar! sacramentum esse sacrae rei, hoc est factae gratiae, signum. Credo, esse invisibilis gratiae, quae scilicet dei munere facta et data est, visibilem figuram sive formam, hoc est visibile exemplum; quod tamen fere analogiam quandam rei per spiritum gestae prae se fert. Credo testimonium publicum esse. Ut quum baptizamur abluitur corpus mundissimo elemento; sed hoc significatur, nos gratia divinae bonitatis in ecclesiae et populi dei coetum allectos esse, in quo candide sit ac pure vivendum. Sic Rom. VI. Paulus mysterium exponit. Testatur ergo is, qui baptismum recipit, de ecclesia dei se esse, quae fidei integritate et vitae sinceritate dominum suum colat. Et ob hanc causam sacramenta, quae sacrae sunt ceremoniae (accedit enim verbum ad elementum et fit sacramentum) religiose colenda, hoc est in pretio habenda et honorifice tractanda sunt. Ut enim gratiam facere non possunt: ecclesiae tamen nos visibiliter sociant, qui prius invisibiliter sumus in illam recepti, quod, quum simul cum promissionis divinae verbis in ipsorum actione pronunciatur ac promulgatur, summa religione suspiciendum est. Nam si aliter de sacramentis sentiamus, puta quod exterius adhibita intus purgent: iam rediit Iudaismus, qui variis unctionibus, unguentis, oblationibus, victimis ac epulis credebat scelera expiari, et gratiam velut coëmi ac comparari. Quod tamen prophetae et in primis Iesaias ac Ieremias semper constantissime exagitarunt docendo, liberalitate dei promissiones ac beneficia data, non meritorum aut externarum ceremoniarum respectu. Credo etiam Catabaptistas, dum baptismum negant infantibus fidelium, toto coelo errare; neque hic solum, sed in multis quoque aliis, de quibus non est dicendi locus. Et ad cavendam illorum sive stultitiam sive malitiam, primus contra ipsos non sine periculo, dei auxilio fretus, et docui et scripsi, ut nunc per illius bonitatem ea lues apud nostros valde remiserit. Tam abest, ut quicquam huius seditiosae factionis receperim, docuerim aut defenderim.

Octavo: Credo in sacra eucharistiae, hoc est gratiarum actionis, coena verum Christi corpus adesse fidei contemplatione; hoc est: eos, qui gratias agunt domino pro beneficio nobis in filio suo collato, agnoscere, illum veram carnem adsumsisse, vere in illa passum esse, vere nostra peccata sanguine suo abluisse, et sic omnem rem per Christum gestam illis fidei contemplatione velut praesentem fieri. Sed quod Christi corpus per essentiam et realiter, hoc est corpus ipsum naturale, in coena aut adsit aut ore dentibusque nostris mandatur, quemadmodum Papistae et quidam qui ad ollas Aegyptiacas respectant perhibent, id vero non tantum negamus, sed errorem esse qui verbo dei adversetur constanter adseveramus. Quod Tuae maiestati, opitulante deo, Caesar, paucis tam perspicuum faciam quam Sol est: *primo* divina oracula adferendo; *secundo* argumentis ex his desumtis velut arietibus in adversarios vadendo; *postremo* veteres Theologos in hac nostra sententia fuisse ostendendo. Tu interim creator Spiritus adsis et mentes tuorum

illustra, imple gratia et luce, quae tu creasti pectora! Christus, ipse os et sapientia numinis, sic inquit: Pauperes semper habebitis vobiscum; me autem non semper habebitis. Hic negatur sola corporis praesentia: nam secundum divinitatem semper adest, quia semper ubique est, iuxta aliud eius verbum: Ego ero vobiscum usque ad consummationem seculi, videlicet secundum divinitatem, virtutem et bonitatem. Nobiscum sentit Augustinus. Nec est cur causentur adversarii, humanitatem Christi esse ubicunque est divinitas; alias dividi personam: nam id tolleret veram humanitatem Christi. Ubique enim esse nihil quam numen potest. Et humanitatem in uno loco esse, divinitatem autem ubique, ita non dividit personam, sicut humanitatem adsumsisse filium non dividit essentiae unitatem. Imo potentius esset ad separandam unitatem essentiae, dum una persona creaturam sibi adsumit quam aliae omnino non adsumunt, quam sit ad separandam personam, humanitatem esse in uno loco, divinitatem vero ubique; quum et in creaturis videamus corpora esse ad unum locum alligata, potentiam vero et virtutem latissime vagari. Exemplum est sol, cuius corpus in uno loco est, virtus autem porro omnia pervadit. Humanus animus astra etiam superat et inferos penetrat; attamen corpus in uno loco est.

Item dicit: Iterum relinquo mundum, et vado ad patrem. Hic habetur verbum relinquendi, sicut prius habendi, quo minus possint adversarii dicere: Non habemus eum visibiliter. Quum enim de visibili corporis sui subtractione loquitur, sic inquit: Modicum et non videbitis me etc. Nec nisi praestigiae alerentur, si corpus eius naturale adesse contenderemus, sed invisibile. Cur enim visum fugeret qui tamen hic esset, qui se toties post resurrectionem discipulis ostendit? Sed expedit vobis, ait, ut ego vadam. At si hic esset: non expediret ut eum non videremus. Ipse enim, quoties discipuli ad eius intuitum alucinarentur: sese aperte exhibuit, ne vel sensus vel cogitatio quicquam pateretur. Palpate, inquit, me! et: Nolite timere! Ego sum; et: Maria noli me tangere etc.

Cum iam iam abiens discipulos commendaret patri: Ego, inquit, posthac non ero in mundo, *καὶ οὐκ εἰμὶ ἐν τῷ κόσμῳ* (hic habetur verbum substantivum), posthac non sum in mundo. Non minus quam in his verbis: *Hoc est corpus meum*, ut neque hic possint adversarii dicere tropum esse, cum negent substantiva tropum recipere; sed res his non indiget. Sequitur enim: Hi autem sunt in mundo. Quae antithesis manifesto docet, illum non esse pro humana natura in mundo, tum cum discipuli essent.

Et ut sciamus quando abierit; non, ut illi fingunt potius quam exponunt, quando sese invisibilem fecerit, sic inquit Lucas: Et factum est quum illis valediceret recessit ab eis, et sublatus est in coelum. Non dicit: Evanuit etc. aut invisibilem se reddidit.

De qua re Marcus sic: Dominus postquam locutus est eis, adsumtus est in coelum, et sedet a dextris dei. Non dicit: Mansit hic, sed invisibile reddidit corpus suum. Rursus Lucas in Actis: Cum haec dixisset, illis inspicientibus sublatus est ac elevatus; nubes autem suscepit illum ab oculis eorum. Nubes texit eum, qua nihil fuisset opus si

solummodo adspectum sustulisset et alias adfuisset; nec opus ita fuisset sublatione aut elevatione. Ibidem: Hic Iesus, qui adsumtus est a vobis in coelum, sic veniet quemadmodum vidistis eum ire in coelum. Quid hoc est clarius? A vobis, inquit, adsumtus est; ergo non erat apud illos, neque visibiliter neque invisibiliter secundum humanam naturam. Cum ergo videbimus eum redire quemadmodum abiit: tunc sciemus adesse. Alioqui sedet secundum humanam naturam ad dexteram patris, donec redeat ad iudicandum vivos et mortuos.

Quum autem sint qui corpori Christi locum abrogent, et dicant non esse in loco: videant quam aperte contra veritatem clausis tamen oculis eant. In praesepi fuit, in cruce, Hierosolymis cum parentes essent in itinere, in sepulchro, extra sepulchrum. Ait enim angelus: Surrexit; non est hic. En vobis *locum* ubi posuerant illum. Et ne possint dicere, corpus eius esse ubique, audiant: Venit Iesus ianuis clausis, et stetit in medium ipsorum. Quid venire fuisset opus, si corpus eius est ubique, sed invisibiliter? Satis futurum erat, non venire, sed qui praesens erat sese solum ostendisse. Sed valeant tam calumniosae nugae, quae nobis veritatem tum humanitatis Christi, tum sacrarum literarum tollunt!

Haec testimonia tollunt corporis Christi praesentiam alicubi quam in coelo, canonice loquendo; hoc est, quantum nobis scriptura constat de ingenio et proprietate corporis adsumti. Quantumque antinomiae cogunt, ut quicquid nobis de potentia dei proponamus: nunquam tamen huc nobis torquenda est, ut facere deum contra verbum suum credamus. Hoc enim impotentiae esset, non potentiae etc.

Quod autem ore nostro naturale Christi corpus non edatur, ipse ostendit quum diceret conflictantibus de corporali esu carnis suae Iudaeis: Caro non prodest quicquam, ad edendum scilicet naturaliter; sed ad edendum spiritualiter plurimum: vitam enim dat.

Quod natum est ex carne caro est; et quod natum est ex spiritu spiritus est. Si ergo naturale corpus Christi ore nostro editur: quid aliud ex carne naturaliter mansa quam caro fiet? Et ne leve videatur alicui argumentum, audiat alteram partem: Quod natum est ex spiritu, spiritus est. Ergo quod spiritus est, ex spiritu natum est. Si ergo caro Christi salutaris est animae, spiritualiter manducatam illam oportuit, non carnaliter. Hoc etiam pertinet ad sacramentorum materiam, quod spiritu spiritus generatur, non re corporea, ut ante attigimus.

Paulus monet, si Christum aliquando secundum carnem noverit, at iam sese non agnoscere secundum carnem.

His locis cogimur fateri, verba ista: *Hoc est corpus meum*, non naturaliter, sed significative perinde accipi oportere atque ista: *Hoc est Paesa.* Agnus enim qui quotannis edebatur, cum ipsa feriarum celebritate, non erat transitus, sed praeteritionem ac saltum olim factum significabat. Huc accedit successio, quod agno successit coena; quae res monet similibus usum esse verbis Christum: servat enim mimesin successio. Accedit eadem verborum compositio. Accedit tempus, quum in eadem coena vetus Paesa ponitur, et nova gratiarum actio instituitur. Accedit omnium *μνημοσύνων* proprietas, quae nomen eius sibi vindicant

cuius mentionem ac commemorationem faciunt. Sic σεισάχθειαν vocabant Athenienses, non quasi quotannis aes alienum levaretur; sed quod Solon olim fecerat isti perpetuo celebrant, et hanc suam celebrationem rei ipsius nomine honestant. Sic vocatur *corpus* Christi et *sanguis*, quae veri corporis symbola sunt. Sequuntur nunc argumenta.

Ut corpus re spiritali pasci nequit, sic neque mens re corporali. Quod si corpus Christi naturale editur: quaero an corpus an animum pascat? Non corpus, ergo animum; si animum, ergo animus carnibus vescitur; et non esset verum, spiritum ex spiritu tantum nasci.

Secundum hoc quaero, quid corpus Christi naturaliter comesum efficiat. Si remissionem peccatorum, ut una pars perhibet: ergo discipuli adepti sunt remissionem peccatorum in coena; frustra igitur Christus est mortuus. Si comesum dispensat virtutem passionis Christi, ut eadem pars perhibet: ergo dispensata fuit virtus passionis et redemtionis antequam nata esset. Si pascit corpus ad resurrectionem, ut alius quidam satis indocte adserit; ergo multo magis sanat nostrum corpus et ab aegritudine levat. Sed aliter amat Irenaeus intelligi, quum corpus nostrum ali ad resurrectionem Christi corpore tradit. Vult enim ostendere, spem nostrae resurrectionis firmari Christi resurrectione. En lepidum tropum!

Tertio: Si corpus Christi naturale est in coena praebitum discipulis: iam necessario sequitur ut istud ederint quale tum erat. Sed tum erat passibile. Ederunt ergo vulnerabile corpus: nondum enim erat clarificatum. Cum enim dicunt: Ederunt idem corpus, sed non quemadmodum erat passibile, verum idem quale post resurrectionem fuit, obiicimus: Ergo aut duo corpora habuit, unum quod nondum esset clarificatum et alterum quod esset; aut unum idemque corpus eodem tempore fuit passibile et impassibile. Et sic, cum tantopere aversaretur mortem, nimirum voluit non pati, sed corporis ista dote uti qua indolens erat. Non igitur vere passus est, sed per hypocrisin, qua nobis via Marcion pulchre reducitur ab Andabatis istis. Sexcenta possent, o Caesar! argumenta adduci; sed his nunc contenti erimus.

Quod autem veteres, quae postrema huius articuli pars erit, nobiscum sentiant, duobus testibus firmabo iisque primis:

Ambrosio, qui sic in epistolam priorem ad Corinthios super his verbis: Mortem domini annunciate etc. dicit: Quia enim morte domini liberati sumus: huius rei memores, in edendo et potando, carnem et sanguinem, quae pro nobis oblata sunt, *significamus* etc. Loquitur autem Ambrosius de cibo et potu Coenae, et perhibet nos vera ista, quae pro nobis oblata sunt, *significare*;

Augustino quoque, qui in Io. tract. 30. corpus Christi quod a mortuis resurrexit adfirmat in uno loco esse oportere. Ubi impressa exemplaria *posse* habent pro *oportere*; sed male: nam et in sententiarum Magistro inque decretis Canonicis, in quae sententia ista Augustini translata est, legitur *oportet*. Quo palam videmus veteres omnino non intellexisse de naturali esu corporis Christi, sed de spirituali, quicquid tandem de Coena magnifice locuti sunt. Cum enim sciverunt corpus Christi in uno loco esse oportere et eum ad dexteram dei esse;

non detraxerunt illud ut dentibus hominum foetidis subderent commolendum.

Idem Augustinus adversus Adimantum capit. 12. tria ista: Sanguis est anima; Hoc est corpus meum; et: Petra erat Christus, *συμβολικῶς*, hoc est, ut ipse loquitur, in signo et significative dicta esse docet. Et inter alia multa huc tandem verborum venit: „Possum etiam interpretari praeceptum illud in signo esse positum. Non enim dominus dubitavit dicere: Hoc est corpus meum, cum signum daret corporis sui.“ Sic Augustinus. En nobis clavem qua universos veterum sermones de eucharistia reserare possumus! Id quod tantummodo signum est corporis, dicit corpus esse appellatum. Eant nunc et nos haereseos damnent qui volent; modo sciant sese eadem opera Theologorum columen damnare contra Pontificum decreta. Ex his enim fit manifestissimum, quod veteres semper symbolice locuti quum corporis Christi in coena esui tantum tribuerunt. Puta, non quod sacramentalis manducatio mundare animum posset, sed fides in deum per Iesum Christum, quae spiritualis est manducatio, cuius externa ista symbolum est et adumbratio. Et quemadmodum panis corpus sustinet, vinum vegetat et exhilarat: sic animum firmat et certum facit de misericordia dei, quod filium suum nobis dedit; sic reficit mentem, sanguine illius peccata, quibus ipsa urebatur, esse restincta. His contenti erimus nunc loci, quamvis totos libros compilare quis posset ad exponendum et confirmandum quod veteres in nostra sint sententia. Nec quenquam moveat libellus nuper editus de veterum sententia, quam ille se *ῥητῶς* tecturum scilicet pollicetur. Brevi enim doctissimi viri fratris nostri Oecolampadii, cuius ab exordio provincia fuit veterum sententiam adserere, confutationem [1] videbimus. Quae vero in hac materia pro planiore expositione aut adversariorum confutatione requiri possent, multis libris ad diversos scriptis abunde puto praestitimus qui in hac sententia sumus.

Nono: Credo ceremonias, quae neque per superstitionem fidei neque verbo dei contrariae sunt (quanquam huiusmodi nesciam an quae inveniantur) per caritatem tolerari posse, donec lucifer magis ac magis allucescat. Sed simul credo eadem caritate magistra, cum citra magnam offensionem fieri potest, dictas ceremonias abolendas esse; quantumvis reclament qui perfido sunt animo. Non enim prohibebat Magdalenen Christus ab effusione unguenti, tametsi Iudae avaritia et perfidia contumaciter tumultuarentur. Imagines autem, quae ad cultum prostitutae sunt, non censeo inter ceremonias, sed ex eorum esse numero quae verbo dei ex diametro repugnant. Quae autem non prostant ad cultum aut ubi cultus futuri nullum est periculum, tam abest ut damnem, ut et pictoriam et statuariam dei dona esse agnoscam.

Decimo: Credo Prophetiae sive praedicationis munus sacrosanctum esse, ut quod ante omne officium sit summe necessarium. Canonice enim

---

[1]) Huius tituli: Quid de Eucharistia veteres et Graeci et Latini senserint dialogus, auctore Io. Oecolampadio; in quo etiam epistolae Phil. Melanchthonis et Io. Oecolampadii insertae. 8. Tig. 1526. Extat etiam in Epp. Oec. et Zu. fol. 130 a — 168 b.

sive regulariter loquendo videmus, apud omnes populos externam praedicationem Apostolorum et Evangelistarum sive Episcoporum praecessisse fidem, quam tamen soli spiritui ferimus acceptam. Videmus enim, proh dolor! satis multos qui externam Evangelii praedicationem audiunt quidem, sed non credunt, quod spiritus penuria usu venit. Quocunque igitur prophetae sive praedicatores verbi mittuntur, signum est gratiae dei, quod vult electis suis cognitionem sui manifestare; et quibus negantur, signum est imminentis irae. Sicut ex prophetis colligere licet et Pauli exemplo, qui interim vetitus est ad quosdam ire, interim vocatus. Sed et leges ipsae ac magistratus nulla ope praesentius iuvari possunt ad tuendam publicam iustitiam quam prophetia. Frustra enim praecipitur quod iustum est, nisi quibus mandatur iusti rationem habeant et aequitatem ament. Ad hoc autem parant animos prophetae tanquam ministri, spiritus tanquam auctor tum doctoris tum auditoris. Hoc genus ministrorum, qui scilicet docent, solantur, terrent, curant, prospiciunt ex fide, in populo Christi agnoscimus. Illud quoque, quod baptizant, in coena domini corpus et sanguinem (sic enim nos quoque μετωνυμικῶς sacrum panem coenae ac vinum adpellamus) circumferunt; quod aegrotos visitant; quod mendicos cibant ecclesiae opibus ac nomine; istud postremo, quod legunt, interpretantur, profitentur, quo vel ipsi vel alii formentur ut aliquando ecclesiis praesint. At mitratum hoc genus atque pedatum, quod numerus est et fruges consumere natum, ἐτώσιον ἄχθος ἀρούρης, credimus νόθον, et id omnino esse in ecclesiae corpore quod strumae et gibbi sunt in humano.

Undecimo: Scio magistratum rite inauguratum locum dei tenere, non minus quam prophetiam. Ut enim propheta coelestis sapientiae ac bonitatis minister est, ut qui ex fide doceat, et errores in lucem protrahat: sic magistratus bonitatis ac iustitiae minister est. Bonitatis, ut cum fide et modestia, instar dei, suorum negotia tum audiat tum consulat; iustitiae, ut iniquorum audaciam frangat et innocentes tueatur. Has dotes si princeps habeat, credo conscientiae illius nihil esse metuendum; eis si careat, tametsi sese metuendum praestet ac terrificum, credo nulla ratione conscientiam eius ideo absolvi, quod rite inauguratus sit. At simul credo Christianum hominem huiusmodi tyranno parere debere, usque ad eam occasionem de qua loquitur Paulus: Si potes liber fieri, magis utere! Quam tamen credo a solo deo ostendi, non ab homine; id autem nihil obscure, sed tam aperte quam Saul est abiectus, et successorem accepit Davidem. Et omnino de reddendo tributo et vectigalibus propter protectionem cum Paulo sentio. Rom. XIII.

Duodecimo: Credo Purgatorii ignis figmentum tam contumeliosam rem esse in gratuitam redemtionem per Christum donatam, quam lucrosa fuit auctoribus suis. Nam si suppliciis et cruciatibus scelerum nostrorum commerita eluere est necesse: iam frustra erit Christus mortuus, iam evacuatur gratia. Quo quid sceleratius in re Christiana cogitari potuit? Aut qualem habent Christum, qui se Christianos adpellari volunt et ignem hunc, non iam ignem sed fumum, formident? Inferos autem, ubi cum Ixione ac Tantalo perfidi, contumaces ac perduelles in perpetuum puniuntur, non tantum esse credo, sed scio. Veritas enim cum

de universali iudicio loquitur, perhibet post illud iudicium quosdam ituros esse in ignem sempiternum. Ergo post universale iudicium erit sempiternus ignis. Quo minus possint Catabaptistae suum istud עולם hoc est, *perpetuum*, errori suo praetexere quo docent, *in perpetuum* durare non ultra generale iudicium. Hic enim de perpetuo igne loquitur Christus post iudicium arsuro, et cacodaemonem cum angelis suis, cum impiis, qui deum contemnunt, cum immanibus qui veritatem mendacio opprimunt et ex visceribus ac fide proximi necessitatibus non opitulantur, cruciaturo.

Haec ut praemissa sunt firmiter credo, doceo atque defendo, non meis, sed divini verbi oraculis, promittoque id facturum pro dei voluntate, dum spiritus hos regit artus. Nisi quis scripturae vere sacrae decretis recte intellectis diversum tam aperte ac simpliciter exponat ac firmet quam nos ista. Sacris enim literis et ecclesiae secundum ipsas ex spiritu iudicanti nostra submittere, nobis non minus iucundum et gratum est quam aequum et iustum. Potueramus omnia locupletius ac profusius exponere; sed cum non daret occasio istis contenti fuimus, quae talia putamus, ut vellicare quidem, quod hodie tam vulgare est facile, quis possit, at convellere nemo. Veruntamen si quis tentet, non auferet inultum. Iam tum forte quod reliquum armorum superest proferemus. Nunc pro praesenti tempore satis testatum sit!

Proinde, optime Caesar ceterique principes, dynastae, proceres rerumque publicarum legati et capita, vos per Iesum Christum dominum et fratrem nostrum, per illius bonitatem et iustitiam, per iudicium eius quo universis pro dignitate redditurus est, quem nullum latet consilium, qui principum impie deliberantium et imperantium proposita disturbat, qui humiles evehit et deiicit elatos, precor et rogo, ut principio monentis parvitatem ne negligatis. Saepe enim stulti quoque opportune locuti sunt, et veritas ipsa imbecilles ac infimae sortis homines ad sui divulgationem elegit. Deinde ut memineritis vos quoque homines esse, qui et ipsi et ab aliis falli possint: omnis enim homo mendax est; et nisi numinis afflatu aliud doceatur quam ipse vel sciat vel cupiat: nihil de eo sperandum est quam quod suis artibus et consiliis se ipsum praecipitet. Nimis enim vere dixit Ieremias propheta: Ecce verbum domini abiecerunt. Quae ergo eis sapientia reliqua esse poterit? Quapropter cum ipsi iustitiae sitis antistites, nullos aeque oportet numinis voluntatem perspectam habere. Quae unde peti quam ex illius oraculis potest? Ne igitur abhorreatis ab illorum sententiis, qui verbo dei nituntur! Nam id fere usu venire videmus, ut quanto magis repugnent adversarii, tanto magis et illud splendescat et falsitas eliminetur. Quod si, quod me non fugit, sunt qui strenue apud vos nostram inscitiam, et si diis placet, malitiam quoque traducant: hoc quoque vobiscum reputate: Primum an, qui istam evangelii eucharistiaeque rationem sequimur, vitam nostram unquam sic instituerimus, ut num bonorum virorum loco habendi simus quisquam bonus unquam dubitaverit? Deinde, num ab incunabulis ipsis ita fuerimus ab ingenio et a literis alieni, ut eruditionis spes omnis de nobis abiicienda fuerit? Certe de neutro istorum gloriamur, quum et

Paulus ipse dei munere esset quod erat. Attamen vita, si omnino hilarior contigit, ea tamen neque ad luxum et impudentiam unquam descivit, neque rursus in crudelitatem, fastum, aut contumaciam degeneravit, ita ut testimonio vitae adversariorum consilia saepenumero attonita receptui cecinerint. Eruditio, quamvis maior sit quam hostes aut ferre possint aut sine conscientia contemnere, tamen longe est inferior quam tenere nos prosequentes opinentur. Veruntamen, ut eo perveniamus quo tendimus, ita iam annis haud paucis cum in divinis tum in humanis literis stipendia fecimus, ut temere quod docemus non sit. Liceat autem nobis gratiam et munificentiam dei, ecclesiis nostris liberaliter impartitam, laudare! Profecto sic receperunt verbum domini ecclesiae, quae dominum deum per nos audiunt, ut mendacium et perfidia contrahantur, frangantur autem fastus et luxus, et contumelia ac vitilitigatio ἐκποδῶν facessant. Qui certe veri fructus divini adflatus si non sunt, quinam erunt? Considerate vero, tu o Caesar Optime, et vos Principes ac Proceres universi, quid porro nobis bonae frugis humanae doctrinae persona protulerit! Redemtae Missae quum principum tum plebis libidinem atque procaciam ut auxerunt, ita pontificum luxum atque missatorum crapulam et invexerunt et ampliarunt. Imo quod nefas non incenderunt? Opes enim quae per missam coacervatae sunt quis dissipabit, nisi in venis obturentur et strangulentur? Faxit igitur deus longe melior quam vos omnes, quos optimos libenter et vocamus et credimus, ut huius et omnium errorum in ecclesia radices incidere, et Romam cum suis ruderibus, quae Christiano orbi et praecipue Germaniae vestrae obtrusit, linqui ac deseri curetis et, quicquid hactenus virium adversus evangelii puritatem exeruistis, invehatis contra sceleratos impiorum Papistarum conatus, ut nobis iustitia, quae per vestram oscitantiam exulat, et innocentia quae fictis et praestigiosis pigmentis obscurata est, reducantur. Satis est saevitum, nisi praeter rem mandare, damnare, imo trucidare, interficere, latrocinari, proscribere, saevum aut crudele non est. Hac ergo via cum non successerit, alia certe adgrediundum erit. Si consilium ex domino est, nolite θεομαχεῖν! Si aliunde, sua temeritate corruet. Idcirco sinite verbum dei libere et spargi et germinare, o filii hominum, quicunque estis, qui ne gramen quidem vetare ne adolescat potestis. Abunde videtis hanc frugem imbre coelesti rigari, nec ullo hominum calore compesci posse ut arescat. Considerate non quid vos maxime cupiatis, sed quid mundus in Evangelii negotio exigat! Boni consulite, quicquid hoc est, et filios dei vos esse studiis vestris praestate! Tiguri, tertio die Iulii. MDXXX.

Tuae Maiestatis et omnium fidelium
deditissimus
Huldricus Zuinglius

AD ILLUSTRISSIMOS GERMANIAE PRINCIPES AUGUSTAE CONGREGATOS DE CONVITIIS ECCII

EPISTOLA HULDRICI ZUINGLII.

D. Ioannes Eccius, vehementissimus et laboriosissimus Lutheri Zuingliique adversarius, in Comitia Augustana 404 articulos detulit, e scriptis Lutheri, Zuinglii et sociorum libris ac disputationibus excerptos, quos ut haereticos debellare instituta disputatione paratus esset, typis excusos Ingolstadii 1530. Foliis quatuor cum dimidio quadruplicatis.

Simulac Fidei ratio Zuinglii 3. Iul. Tiguro data in manum Caesaris tradita est, citissime et animosissime Eccius in eius confutationem incubuit, quae tridui labor, ut ipse ait, iam 17. Iulii ex officina libraria prodiit huius tituli: Repulsio Articulorum Zwinglii Caes. Maiestati oblatorum Iohanne Eccio authore 1530. in Iulio. — Sub Reverendissimi patris et amplissimi principis D. Erhardi S. R. E. Cardinalis ac Leodien. Episcopi patrocinio. Aug. Vindel. 9½ fol. 4. Quod scriptum eius odio et maledicentia exuberat, ut nihil supra. Ecce hic introitum cum brevi compendio, summam eius referente!

Ex Dedicatione ad Erhardum ab Arnberg, Cardinalem ac Leodiensem Episcopum.

„Quis Catholicorum non defleret Vota cassata a Luthero, Missam, et Eucharistiam extinctam a Zuinglio, Catabaptismum reductum a Baldasare, V. et N. T. reiectum ab Ambrosio „(fortasse Blarero)“ Pneumatico. His monstris nisi Herculem et isti pesti Hippocratem dederit Deus divum Caesarem: vae miserae et lacerae Germaniae! Repulimus Zuinglii libellum, quem fidei suae confessionem Aug. Caesari fecerat praesentari; in quo si acerbior alicui videor, illum precor per superos, ne iudicet me amaro fuisse animo in Zuinglii sectatores, sed ex christiano pectore, ex fraterna caritate, me summopere eis condolere, quod tot millia animarum periclitantur, non dico, pereunt.“

Idem *Eccius*: „In nomine tuo dulcis Iesu. — Non satis scio sacratissime Caesar, dum Zuinglii confessionem lego, an magis demirer hominis vel impietatem vel impudentiam: in utroque enim adeo excellit, ut non facile sit diiudicare, in quo plus laboraverit ut insigni malitia se ipsum quotidie in his vincere conetur. Perpetuo enim hoc decennio hoc saxum volvit, ut omnem fidei Christianae pietatem in Helvetiis extingueret: cultum aboleret divinum: omnem ecclesiasticae observantiae ritum, usum, consuetudinem, ac totius Christianismi religionem pessundaret, deleret, ac ultra Sauromatas et Caspios montes relegaret. Sic enim primo Lutheri errores asseruit, ac in populum sparsit: moxque Luthero despecto in pluribus placitis ab eo recessit, ac novam Capharnaitarum atque Berengarii et Pelagianorum, aliorumque haereticorum sectas restauravit. Quibus tantum apud suos Thuregi effecit, ut veteri Christiana religione obliterata, necquicquam obedierint Reverendiss. Constantiensi antistiti, tam paterne eos non semel monenti: sed excussa eius ordinaria Iurisdictione, contra fas nefasque, omnia pro libito fecerint, ac disposuerint, atque in hunc diem faciant et disponant. Non minus vero obsurduerunt ad Cantonum confoederatorum piissima monita: quorum tamen auxilio, ne dicam sanguine, ad hoc fastigium dominiorum pervenere, tanta aucti sunt potentia: ut non modo Helvetios alios audire negligant: sed et eos contemnant, vimque eis intentent, ac minis et ferro a vera Christiana fide, avertere eos nitantur. Horret animus, refugit mens, tremunt membra, Caesar potentissime, dum impietates Zuinglii referre volo: obruit multitudo, dum in digitis enumerare laboro: sed eum cape animum, tantisper dum hoc facio, ut existimes me gesta, non hominis Christiani, sed Turcae alicuius aut trucis Tartari seu ferocis Hunni aut veteris Nabuchodonosor seu Antiochi aut Heliodori coram M. T. tua recensere: nam primo caeremonias plures mutavit, quasi ecclesiam reformaturus: mox easdem abstulit: populum ad utriusque speciei communionem, contra ecclesiae institutum, invitavit: confestim utramque abiecit, ac omni solatio sacramenti Eucharistiae destituit; cum pro sacratissimo Iesu salvatoris nostri corpore et sanguine, ecclesiis suis nonnisi pistorium panem exhibuit: In quam sententiam dum suae gentis homines pertraxisset, ut veritatem corporis Christi in sacramento negarent, nullum fuit scelus tam immane, nullum crimen tam impium ac nefandum, in quod non praecipites protruderentur a Zuinglio: Omnium itaque sacramentorum, excepto baptismo, cessavit administratio: omnes ecclesiae caeremoniae extinctae sunt: horae canonicae, officia missarum cum publica tam privata, in omnibus ecclesiis, collegiis et monasteriis cessarunt: ut qui primum multo sudore, tam saepe missam mutarit, nunc in illam, nunc in aliam formulam: postremo missas omnes deleverit et extinxerit: Cessant itaque apud eos, sanctorum celebritates, nocturnae atque diurnae laudes dei: nullus honor divae virgini Mariae reliquisque divis exhibetur: frequentissimumque Mariae in Eremitorio templum desolatur: Cessant fundata anniversaria, aliaque officia divina: diruta sunt altaria atque eversa: Imagines sanctorum atque pictae tabulae, vel exustae aut contractae vel deturpatae: Omnis ornatus ecclesiis ademptus, Calices praecipue, et monstrantiae, ac quicquid auri vel

argenti aut serici in ecclesiis fuit: Census ac reditus ecclesiarum atque monasteriorum in profanos usus direpti, monachis omnibus ac monialibus, spretis votis, in mundum reversis, ac incontinentiae servientibus: Unde religiosissime piissimorum Austriae ducum, Comitum ab Haspurg, a Kiburg, a Nellenburg, a Tockenburg, et in primis Caroli magni Maiestatis tuae praedecessorum fundationes, funditus deletae sunt atque eversae, omnia profanata, atque desolata: ut non iam ecclesias habeant, sed potius equorum stabula: non monasteria in quibus deo iugiter serviatur, sed Veneris aut Bacchi templa videantur: Post tot autem impietates, sacrilegia, direptiones, ac blasphemias, post tot errores disseminatos ac haereses implantatas: audet ad Augustale caput mundi perfidiae suae confessionem dirigere: audet coram Christianissimo Rom. Imp. Caes. Aug. articulos minime Christianos proferre: audet furiosa illa temeritas, posteaquam Bernenses, Rauraces, Scaphusienses in suam pertraxit sententiam; posteaquam S. imperii civitates, Constantiam, Milhusium, et S. Galli oppidum erroribus suis infecit: atque a fide domus Austriacae alienavit: Posteaquam nobilem Argentinensium Rempub. erroribus suis, ducibus Capitone et Bucero, dilaniavit ac corrupit: Posteaquam seditiones in dominiis Seren. Hungariae et Bohemiae regis ac Archiducis Austriae, suscitavit, Nobiles sacro Imperio ac domui Austriacae fideles, plurimis iniuriis affecit, ac rebus suis spoliavit, posteaquam tam saepe, tamque abiecte, M. T. tuam absentem, humeros tuos sacros contempsit, irrisit atque floccifecit: Audet inquam, scelerum minister, atque impietatis et sacrilegii dux, deorum hominumque contemptor, super haec omnia, perfidiae suae libellum M. T. offerre; atque haeresum suarum, rationem reddere: ut non immerito, grandis animum meum subierit admiratio, an Zuinglius vel impietate vel impudentia magis excellat? stultissimus profecto Ardelio, qui credat se posse his fraudibus sacrae M. T. imponere: eamque circumspectissimam, his technis ac versuciis fallere: Quare cum tua prudentia Caes. M. facile intelligat hominis vafriciem, abhorreat impietatem, fastum eius atque arrogantiam contemnat: pro mea nihilominus observantia, pro obsequio debito, atque munere Christiano quo fungor, perfidam Haeretici fidefragi confessionem excutiam, atque sub examen revocabo: Confisus de iustitia Christianissimi animi tui, ut tanquam fidelissimus dei minister, atque ecclesiae advocatus, hanc haeresim, tot animarum damnatricem, aliquando reprimere ac extirpare et catholicos sub eorum dominiis oppressos, ad Christianam libertatem revocare prudentissimo consilio, deliberes. — „Mendacio arrogant sibi pacis studium, qui nati videntur ad reipublicae et patriae pacem atque tranquillitatem subvertendam, homines videlicet seditiosissimi ac sanguinarii, quod *Zuinglius* et sui in Utingensi [1] seditione, Rotwilensi [2] item, ac aliis ostenderunt. Maxime autem pacis studium enituit, dum ob unum sacerdotem Lutheranum apud *Suiciam*

---

1) Qui motus coortus est ex eo, quod Praefectus Turgoviae reformatum praedicatorem Oechslinum Burgae apud Lithopolin Rhenanam noctu comprehensum Gynopolin abduxerat. 2) Cives catholici expulerant patria reformatos, qui Tiguri aliisque locis Helvetiae reformatis perfugium petiverunt.

combustum,[1] Turicenses et Bernenses cum Turgoviis in arma provocarit, adversus V. veteres et in fide catholica constantissimos Helvetiorum Cantones, atque in campum progressis aciebus non longe ab oppido *Rappoltsweilero*[2] plurimus fuisset sanguis humanus effusus, si Zuinglio sui fuissent obsecuti, qui ad conserendum manus strenue evangelicus praeco hortabatur.

Cur autem Zuinglius suae Confessionis libellum ediderit, primo causam apparentiae assignarat veritatis amorem et pacis studium; mox vero illius oblitus (solent enim mendaces immemores esse) diversam affert causam; ut facile S. M. Tua intelligit, eum plus invidiae morbo extimulatum, ac contentione agitatum: cum videret Ill. Principes et prudentissimos Senatores doctrinae *Lutheri* assentientes, articulos suae fidei M. Tuae ac proceribus Imperii obtulisse, in quibus impia Capharnaitarum, Zuingliana ac Oecolampadica dogmata, saepius damnantur ac reiiciuntur. Cum ergo Zuinglius immortali odio Lutherum persequatur, eumque plurimis verbis iniuriosis proscindat, maleque sarta sit gratia *Marburgi* inita: in hanc quoque harenam descendit, et ipse libellum Confessionis suae M. Tuae per ignotum, ut audio, nuntium subdole obtrusit. Ita veritati evangelicae subnixus, novus Ecclesiastes et Turicensis episcopus, nec ipse, nec aliquis vir honestus suo nomine hunc librum, palam et manifeste Mai. Imperiali ausus fuit offerre. — En Philisteum illum immanem, Gigantem illum vastum et truculentum, qui non unius Caesaris cedit iudicio, non paucorum, in sancta Synodo congregatorum, non denique totius Ecclesiae iudicio, si unquam Deus omnes Christianos convenire faciat: adflatum spiritus in ea expostulat, ac si unquam futurum sit, ut Christus ecclesiam suam deserat. — Quasi per unum aut alium fidei temerarium oppugnatorem tota Ecclesia cogenda sit, cuius tamen iudicium, frivolis suspicionibus ductus, quisque pro libidine sua eluderet. — Validus ille Nemrot scribit ad Helvetios: se triumphaturum de omnibus Doctis huius mundi, et in Libro de Baptismo affirmat: certum esse, etiam si totus mundus eum oppugnet, sententiam suam firmam permansuram."

Iam procedit Eccius ad disquisitionem duodecim articulorum Zuinglianae Confessionis, ex qua potissima quaeque communicaturi sumus.

Ad Art. I. „Multa insunt huic articulo, quae etsi vera sint ac indubitata apud nos Catholicos, tamen miris modis depugnant Zuinglii dogmata: Nam quod sibi vult, ut primarium et praecipuum Confessionis suae articulum, Concilio Niceno roborat et Athanasico, qui tam iniquus alioqui est conciliis et patribus, ut quicquid ab his statuatur, humanas traditiones existimet hominum commenta? Similiter cur *tres* fatetur *personas* in divinis, cum haec vocula *persona*, in ea significantia, in S. Literis non reperiatur et praescriptum Zuinglii sit nihil esse recipiendum in fide, quod non claris et liquidis scripturis biblicis affirmetur, quo praescripto et Bernenses in eorum disputatione usi sint Ao. 1528

---

1) Iac. Schlosserus, cogn. Caesar. 2) Expeditionem dicit anno 1529 factam, in qua exercitus Helvetiorum sibi ex adverso steterunt *Capellae* ad manus conserendas accincti.

contra probibitionem regiminis Caesarei habita. Amplius cum filium dicit hominem assumsisse, id in S. Literis nusquam reperit, neque humanitas Christi est homo; sed error iste perniciosus fuit *Nestorii* haeretici. Recte autem facit hic Zuinglius, quod perpetuam virginem fatetur Mariam, at hoc contra praescriptum suum, ex sola traditione habet Ecclesiae, quod et *Buzer* Bernae fatebatur. Pari modo *unionem naturarum* in Christo indissociabilem, vere fatetur Zuinglius contra praescriptum suum: nam S. Literis probari nequit, Christum, quod semel assumsit, non dimisisse. Sic cum naturas in Christo non confundit, bene facit contra praescriptum suum; tamen in Bernensi disputatione mixtionem naturarum cum Eutychete haeretico admisere. Novat autem Zuinglius absque omni scriptura, absque patribus, absque usu Ecclesiae, ut pro Idiomate et genuina natura seu proprietate „*ingenium*" dicat: inquit enim: „Christus pro humanae naturae ingenio vagit, incrementum capit." At expressam haeresin hic fatetur Zuinglius, cum de Domino nostro Iesu Christo inquit: *Proficit sapientia;* cuius rationem alibi dedit, quia Christus secundum humanam naturam finitus sit et mensus; at haec est haeresis Nestorii ex verbis Lucae 2: 40, 52. male intellectis suborta. — Unde prorsus reiicienda est illa confessionis particula, cum tota fateatur Ecclesia: Christum etiam secundum humanam naturam esse omniscientem.

II. *Liberum arbitrium* negat: haeresis est Manichei, aut quod omnia absoluta necessitate eveniant, haeresis est Wiclephica, in Constantiensi Concilio damnata. — Profecto mirandum est, cur tam impudenter liberum neget arbitrium, cum verissime in eum et Oecolampadium conveniat id Iesaiae: Fecistis mala, quoniam potuistis.

III. Zuinglius hoc loco *unicam* adfert *hostiam Christum* pro sceleribus nostris, ex quo subdole colligit, nullam esse iustificationem operum, nullam satisfactionem. — Parum abest Zuinglius a Novatianis haereticis, poenitentiam negantibus, cum satisfactionem non spernendam eius partem reiicit.

IV. *De originali peccato* Zuinglius suam adfert sententiam tam lubricam, ut affirmet modo, mox vero etiam neget: nam in libello suo de baptismo negavit prorsus, originale vitium esse peccatum, sed naturalem duntaxat defectum, sicut balbutire; hic autem et concedit et negat peccatum originale. — Peccatum inquit, *proprie* captum, scelus est, crimen, facinus aut reatus; hoc modo negat peccatum originale esse peccatum, et sui oblitus confestim fatetur, nos servos nasci, filios irae et morti obnoxios. At iam Zuinglium et Zuinglianos omnes in arenam voco: anne obnoxium esse irae et morti reatus sit? et cum id pernegare non ausint, si modo cerebrum habeant: consectarium est itaque *peccatum originale proprie esse peccatum;* quid initio Zuinglius plane reiiciebat. Praeterea quod moriendi necessitatem astruit esse peccatum originale, longe a vero abest. Alioqui quum in baptizatis maneat moriendi necessitas: maneret et peccatum originale; at sic dicere esset cum Luthero veritatem fidei et efficaciam sacramentorum enervare.

V. Obticuit Zuinglius, quod magno boatu Thuregi ebuccinavit, infantes Christianorum *praeter baptisma salvari.* Nam sic contra

decretum Christi non renatus ex aqua et spiritu introiret in regnum coelorum. Addendum illud, ubi ex S. L. hauserit discrimen illud inter infantes christianorum et infidelium. Postremo ostendat, quo pacto cum Ecclesia Argentinensi conveniat, in qua *Bucerus* scribit, homini labem esse peccatum originale, ut nisi ea per Christi sanguinem purgatur, salutem posset consequi nemo. Sic regnum in se divisum desolabitur. — — Ne illud quoque ei obiiciamus, quod per omnia hic *Luddero Luteranisque* contradicit, peccatum originale proprie esse peccatum affirmantibus.

VI. Ait: *Ecclesiam* usurpari pro *electis* istis, qui Dei voluntate destinati sunt ad vitam aeternam, de qua Paulus loquitur, cum dicit, eam nec rugam habere nec maculam, in quo quidem dicto tot ferme sunt errata, quot verba: Error enim est damnabilis, ecclesiam solam esse Praedestinatorum, qui et in Romano et Constantiensi Concilio damnatus est, et nos alibi confutavimus. Fatemur itaque ad ecclesiam *perfectam* solos iustos numero et merito pertinere. — Non est Ecclesia *praesens* sine ruga et macula, sed a Christo quotidie emundatur et purgatur, ut sibi possit exhibere ecclesiam gloriosam, tunc scilicet quando tradiderit regnum Deo et patri. Zuinglius hic Catholicis et Ludderanis contradicit. Cum Ludderani ipsi contendant (licet perperam) iustum in omni opere peccare, et quod omnia hominum opera esse plane viciosa, et morte digna peccata. Contra audet Zuinglius ex suis sanctulis ecclesiam statuere sine ruga, sine macula. Orthodoxis praeterea non convenit cum Zuinglio: nam et si inficientur, iustum in omni opere peccare, tamen etiam iustis quotidiana surrepunt peccata, cum non sit iustus in terra, qui non peccet, et omnes quantumvis sancti, quotidie orant: Et dimitte nobis debita nostra! — Anabaptistarum reluctatur Confessioni. Immemor tamen est Zuinglius quod aliquando (in articulis §. 18. et de Baptismo) opinatus est, longe melius esse, ut infantes tum primum baptisandi essent, cum adulti essent, et Anabaptistarum Pater Baldasar testatur, se syngrapham habuisse Zuinglii, qua eum ad hanc haeresim hortatus sit. — Dum Zuinglius ecclesiam *repraesentativam* asserit apud *Turicenses* (Ducentorum Senatum), cur eam quoque in aliis locis negat, in provinciis, in regnis, atque adeo in toto Imperio romano? Cur ergo inter Ecclesiae significationibus non quoque illius meminit Ecclesiae repraesentativae?

VII. Dicere: *Sacramenta non conferre gratiam*, perinde est, ac si dixerimus: Sacramentum non esse Sacramentum. — Porro quod negat, Sacramentum esse vehiculum spiritus: si non fallor, Lutheri adsectatores hic attingit, qui in libello confessionis suae dicunt: Sacramentis et verbo dari spiritum tanquam per instrumentum. Hic vero Zuinglius articulum illum expugnare molitur, quia vehiculum non sit spiritui necessarium. — Nondum intelligit, quo pacto patres dicant: spiritum dari sacramentis; non enim quadriga invehitur spiritus, sed solus Deus assistens omnipotenti virtute, sensibilibus signis ab eo efficaciter institutis, infundit gratiam animae humanae. Non enim aqua est effectrix proprie gratiae in anima pueri, nisi sicut causa sine qua non; sed Deus ipse creat gratiam in anima pueri. — Et necessarium

est Spiritum Sanctum praevenire suscipientem sacramentum per gratiam gratis datam, ante gratiam gratum facientem. — Quantum abest Zuinglius ab Anabaptistis, quos tamen veluti novus Phalaris in Wellenburgio [1] usque ad mortem emacerat, membratim torquet: — nam et hi sacramenta omnia negant, signa duntaxat et testimonia aliqua inefficacia permittunt. — Quantum distat ab Anabaptistis cum temerarie pronunciet: Ecclesia Baptismo publice recipit eum, qui prius receptus est per gratiam. Cur ergo Christus dixit: Nisi quis renatus fuerit etc.? Si gratia prius lotus est et spiritu sancto, non esset renascendus. Non itaque praeteritae gratiae signum est Sacramentum, sed praesentis, iam per Spiritum Sanctum Sacramento assistentem baptizato collata. — Pereat itaque Zuinglius cum Oecolampadio, Bucero, Zuikio et Hallero, qui christianam de sacramentis sententiam temeraria impietate Iudaismum appellat, quasi sacra fidei nostrae mysteria non efficaciora sint, quam umbratiles et typicae Iudaeorum ceremoniae. Vanam ridemus Zuinglii iactantiam, qui primus contra Anabaptistas docuerit et scripserit, cum non ignoramus, Zuinglium fuisse, qui suo consilio et iudicio hanc perditam sectam condiderit, et plus invidia, quam amore veritatis extimulatus Balthasarem, Catabaptistam persecutus fuerit, ut omnis eius vicinia testatur. — Balthasar quoque in libello quodam Nicolspurgi in Pannonia edito, verba excudi curavit Zuinglii, Baptismi infantum dissuasoria, unde annotari fecit, se huius Consilii syngrapham habere.

VIII. Hic est praecipuus impietatis Zuinglianae articulus, quo in venerando sacramento *Eucharistiae* negat *veram praesentiam* corporis et sanguinis Domini nostri Iesu Christi. Matthaeus, Lucas et Paulus — nullibi tropum aut metaphoram subindicant vel minimum. Temerarium est, ex proprio cerebro contra totius Ecclesiae intelligentiam et consensum puram et simplicem Christi enarrationem per tropos subvertere. — Citat id Christi: „Pauperes semper habetis vobiscum, me autem non semper habebitis; hic negatur corporis praesentia, nam secundum divinitatem semper adest. — Verum est, Christum locutum esse de praesentia corporali, non autem de quacunque eius praesentia: non enim abnegat praesentiam mysterialem, sed visibilem conversationis humanae in corpore passibili. — Esse ubique per naturam est proprium Deo; corpus vero Christi est in pluribus locis per voluntatem divinam, quae hoc potest, quia non est impossibile apud eum omne verbum. — Adducit Ioh. 16. „Relinquo mundum“ et Ioh. 17. οὐκ ἔτι εἰμι ἐν τῷ κοσμῷ. Eandem recipiunt hi loci intelligentiam quam prius: derelictio mundi visibilis, humanae conversationis — expediebat eum iam non visibiliter apparere, sed velatum mysteriis: fides enim humana non habet meritum, ubi humana ratio praebet experimentum, inquit Gregorius. — Improbare nititur Zuinglius Eucharistiae communicationem, quia Christus ait: Caro non prodest quicquam — ad edendum scilicet naturaliter. — Caro autem Christi non naturaliter editur, ut traiecta in

---

1) Carcer Maleficorum Tiguri. Hic, ut supra et alibi Eccius historicam fidem parum curat, et rumorem inimicissimum refert. Quod catabaptistas hortatu Zuinglii in equuleum coniectos narrat, falsissimum est.

stomachum, vi genuini caloris alteratur, et ad epar decocta, ad alenda membra emittatur; quis enim brutus et infelix sensus est, sic de corpore Christi glorioso et impassibili, similia suspicari, corpus enim Christi verum et realiter, speciebus sacramentalibus velatum, sumitur in Mysteriis, sine omni sui fractione, divisione, alteratione aut passione. Cum ergo Christus ait: caro non prodest quicquam, quis carnem Christi dixerit fuisse inutilem, in qua operatus est salutem totius mundi, nam si caro non prodesset, verbum caro non fieret, ut habitaret in nobis. — Altior intelligentia eruenda est ex verbis Christi, quam grammatica suggereret. Sed theodidactus Zuinglius supplet verba Christi: caro non prodest quicquam" — ad edendum scilicet naturaliter. Ecce qui glossas omnes contemnit et reiicit, obtrudit iam nobis glossam suam. — Nonne et spiritus Christi est in corpore Christi? Annon legit Chrysostomum, Ambrosium, Cyrillum de corporis Christi manducatione, aut saltem Augustinum, cum istius cibi efficaciam descripsit: Ego mutabor in te, tu non mutaberis in me. — Anima ergo pascitur sacramentali modo manducatione carnis Christi. — Sacramentum Eucharistiae non ordinatur contra peccatum mortale delendum, cum Sacramentum poenitentiae in eum finem sit institutum, sicut Baptismus contra originale, sed sumitur pro satisfactione peccatorum ad gratiam augendam, pro donis et virtutibus adquirendis et offertur ad Deum placandum in singulis necessitatibus. — Discipuli Christi idem corpus sumserunt, quod Christus habuit. — Dixerim Zuinglio, quod captum suum superat: Apostolos sumsisse corpus Christi passibile impassibiliter, quia sacramentaliter. — Falsum est, veteres semper symbolice locutos, cum corpus et sanguinem in coena Domini meminerint. Ferebatur Christus in manibus suis, quando commendans ipsum corpus suum, ait: Hoc est corpus meum: ferebat enim illud corpus in manibus suis.

IX. *Ceremonias* statui tolerandas, quae neque per superstitionem fidei nec verbo Dei contrariae sunt. Nos fatemur huiusmodi esse ceremonias ecclesiasticas — at cum Zuinglius non aperit quas vel tolerat vel reiicit ideo et nos illas praeterimus. — Quantum ad *Imagines* attinet, in qua re Luthero contra dicit, excitarunt hic Capharnaitae antiquam iconoclastarum haeresin, toties et a Carolo magno (qui Thuregum extruxit) contra quam IV Libros scripsit, damnatam, quam iam Turicenses fundatoris obliti, magna impietate restaurant. — Cum imagines instruant simplices, admoneant scientes, afficiant omnes, recte Catholici eis utuntur, omneque periculum Idololatriae facile vitatur, si iuxta Basilii doctrinam omnis veneratio ad prototypum refertur.

X. *Ministerium verbi* et praedicationis parvi facit Zuinglius: nam saepe testatus est, se nolle doceri ab hominibus sed a solo Deo. — Ambit Zuinglius titulum Episcopatus, gestit dum a complicibus errorum Episcopus et Antistes Turicensis appellatur.

XI. Quod *Magistratum civilem* definit locum Dei tenere recte hic Zuinglius facit. At timeo ne hoc plus dicat adulandi studio, quam veritatis amore; nam si eorum potentiam non reformidaret, non minus in eos inveheret, quam in ecclesiasticos, quorum iuris dictio aeque in iure divino fundata est, sicut secularium.

XII. Reiicit Zuinglius *purgatorium ignem* tanquam figmentum et rem contumeliosam redemtioni per Christum donatae. — Et si Christus satisfecerit pro peccato, quod culpam sustulit, quod poenam aeternam in temporalem commutavit, at non subinde consectarium est eum omnem poenam enervasse. — Et Christi satisfactionem non sustulisse omnem poenam, liquet ex morte, quam omnes patimur, liquet ex tot infirmitatibus et necessitatibus nostris.

Finem facit Confessionis suae, licet multis perfidiis et erroribus omissis, nam nihil omnino de poenitentia attigit, nihil de votis ac coelibatu cleri, nihil de ieiuniis ac quadragesima, nihil de sacerdotum ordinatione, nihil de ritu missae et aliis multis, quae si attulisset, ea non vellicare, sed omnino convellere voluissem, gladio spiritus quod est verbum Dei.

In Epilogum: Ut persuasibiliorem faciat perfidam suam Confessionem, sanctulus haberi vult, adeo ut de bonitate sua nemo bonus unquam dubitaverit. Verum vitam eius non incessimus, quantumvis eam plurimi asserant non esse tam innoxiam, at in hoc Domino stat vel cadit. Ideo procul absit a nobis, ut quicquam sinistre iudicemus, id duntaxat dicamus, ut hanc insontis vitae laudem potius viciniae permisisset. — An non tumet Zuinglius, cum tantam sibi arrogat eruditionem, quam nec hostes ferre possint, cum sibi tam curta sit doctrinae supellex, ut praesentibus adversariis non ausit in arenam descendere, quod ex eo constat, cum XII Cantones eum ad Badense oppidum evocassent, ut mecum de articulis fidei disputando congrederetur, salvo in hanc rem misso conductu, qui principi quoque satis esset, rennit venire Zuinglius indigena, per 3 milliaria, cum ego extrarius 33 millibus illic profectus sim. Uter ergo alterius eruditionem non tulit? Quod si superbus ille pergat in fastu, paratus sum coram Caesarea Mai. et Proceribus regni adhuc periculum facere, anne plus possit veritas catholica quam haeresis Zuingliana.

Non pudet Zuinglium, ex principibus quaerere: Quis dissipabit opes, quae per missam coacervatae sunt? Ac si tu nescires cum complicibus tuis, qui donationes regum et principum, largitiones comitum et nobilium, eleemosynas civium, sub fuco publicae cuiusdam cistae rapitis; omnia ad vos coacervatis. Neglectis interea Christi famulis, neglectis pauperibus, ad luxum usque pascuntur pseudoprophetae, apostatae, voti fractores, et id genus hominum. Ceremonialia omnia ecclesiastica apud vos perierunt, sed decimae interea rigide exiguntur, census omnes et reditus ex asse solvuntur ad Collegia, ad monasteria, ad beneficia; hae inquam ceremoniae non obliterantur. Et ubi prius vicini multi ex monasteriis alebantur, rustici, mechanici, egentes.: iam turgidus quispiam praefectus omnia absumit, omnia solus capit, atque incrassatus, impinguatus, dilatatus et opibus ecclesiasticis suffarcinatus Thuregum ingreditur. Dum bene poti fuerint et musto oppleti, calices sacros pro poculis, patenas pro orbibus habent in conviviis, si facta famae respondent, et iactabundi velut novi Baldasares de vasis sacris prophanatis gloriantur. Adhuc audet periurus Zuinglius quaerere: quis dissipabit opes, quae per missam coacervatae sunt? — Consulit

Zuinglius, ut omnium errorum in Ecclesia radices excidantur; suo ergo iudicio excidendus est Zuinglius, excidendi sunt Oecolampadius, Capito, Zuiccius, *Bucerus*, *Simpertus* cum complicibus et velut stipites aridi, iussu Domini in ignem mittendi. — Sed quam splendide et decore Augustum Caesarem cum reliquis Proceribus Imperii laudat, quod vires suos adversus Evangelii puritatem exercuerint, quod eorum oscitantia iustitia exulat et innocentia praestigiosis pigmentis obscurata sit; dat principibus saevitiam, quod praeter rem mandarint, damnarint imo trucidarint et interfecerint, latrocinati fuerint et proscripserint. Quis modo negarit, Zuinglium esse rhetorculum eruditissimum, quem nec hostes ferre possint, qui orationem Confessionis suae tam affabre et benevolenter conclusit. Cum Dominus Caesar, Rex serenissimus ac alii Proceres Imperii nihil Deo gratius, nihil nomini eorum celebrius, nihil pro quieto et tranquillo statu subditorum utilius facere possint, quam quod has sectas, perditionis magistras mendaces perdant, deleant, ac ex sacro Imperio quam longissime relegent: Deus O. M. hunc animum et exequendi modum tranquillum Caesareae Maiestati reliquisque Imperii Proceribus, pro sua clementia dare dignetur. Fiat bone Ihesu! Fiat!"

Ad Civitates Zuinglii dogmata recipientes.

„Vos civitatum magistratus ac populos obtestor, ne amaro feratis animo, quae in haeresiarcham Zuinglium acerbius effudimus. Expendite, nisi salus vestra nobis cordi esset, nisi vobis optime vellemus consultum, nisi animarum vestrarum beatitudo nos extimularet, nunquam tam aculeate calamum in Zuinglium perstrinxissemus: nam de ipsius salute, parum spei nobis superest, a S. Paulo instructi. Verum de vobis amplam concepimus spem convertendi: in quo vobis non sit impedimento, abusus qui sunt in ecclesia! Nam vitia rerum tollantur, non res ipsae, et vera antiqua christianaque perseveret religio. Deus O. M. vos ad ovile ecclesiae quam citissime reducat. Amen."

Vadianus, qui cum concive quodam, Augustae versante litteras commutabat, Zuinglium continuo (16. Aug.) postquam apparuit, de hoc scripto certiorem fecit (V. Ep. ad Zu. d. 16, itemque A. Blaur. ad Zu. d. 18. et Zu. ad A. Blaur. d. 19. Aug. 1530).

Hoc antigrammate acerbo commotus Zuinglius per singularem libellum ad Principes Germaniae se convertit, ut de sacramentis praecipue suam mentem et sententiam edissereret. Editio princeps prodiit Tiguri apud Chr. Froschover Anno MDXXX. 27. die Augusti, ut dicitur, quarto; altera octavo subiuncta Confessioni Fidei ibid. (Vid. supra). Opp. II, 545 a — 550 a. contributus et vernacule redditus habetur libellus sub hoc titulo: Ad illustrissimos Principes Germani Nominis, Augustae congregatos, missa epistola Huldrici Zuinglii de convitiis ab Eggio adversus veritatem

iactatis. Matth. XI. Veritas obtineat victoriam! In fine: Dabam Tiguri 27. die mensis Augusti MDXXX. 4. quinque foliis.

ILLUSTRISSIMIS GERMANIAE PRINCIPIBUS
IN COMITIIS AUGUSTANIS CONGREGATIS HULDRICUS ZUINGLIUS

Gratiam et pacem optat a Deo patre et Iesu Christo filio eius redemtore nostro. Potueram, illustrissimi Principes, quod ad me attinet, citra omnem dolorem Eccii maledicta praeterire, quum quod servator noster isto nos elogio consolatur: O beatos vos cum maledixerint vobis homines; tum quod sapientes viri docent, contumeliam non esse nisi a recipiente: is enim si se impervium animi contractione huiusmodi telis fecerit, non magis ea recipiet quam saxum. Sed quum ille mendaciis et pietatem evertere et vetustissimam Tigurinorum urbem obruere etiam impune satagit: iam a pietate ipsa exciderem, si allophylum istum tam superbe veritati insultantem non funda et lapide petiero. Porro cum ille iam indubie aut crepuit aut nexus est; si modo ex animo tantum convitiorum depromsit (rumpi enim aut mente capi oportet tanto furore distentum ad tam immanem contumeliarum eiaculationem); vel si ex animo sic debacchatus non est, ut nihil periculi ei immineat a tam inusitato maledictorum puerperio: iam utraque causa satis magna est, ut ad illum nihil demus. Nam si furit: discerperet, non legeret epistolam; si non furit, sed ex hypocrisi tam grandia detonat: non perpenderet suo more quae dicimus, sed depravaret sane dicta insanis calumniis. Hinc factum est, ut Celsitudinem vestram isto misso adpellem, non alia re fretus quam fiducia dexteritatis vestrae, qua spero adhuc fore ut pro germana Germanorum virtute et religione aures, fideliter sententiam aut causam suam exponentibus, non minus adcommodetis quam calumniatoribus; quantumvis vel clamore obruant vel propius sese vobis insinuent. Res enim ut per sese forte non tam arduae sunt, studiis tamen et contentionibus huc magnitudinis creverunt, ut ni vos contentiosorum studiis et impenetrabiles et aequos iudices exhibeatis, qui non pronuntient antequam universa causa undique sit perspecta, iam aliquid turbae dissidia non parva, parvis tamen initiis nata, dare poterunt. Cum autem per omnia quae Eccius in ratione fidei nostrae non iam carpit, sed instar silvestris apri vastat et calcat, si diis placet, nihil aeque Romanenses offendat atque duo ista: Quod sacramenta gratiam nec conferant nec dispensent; et quod in sacra coena domini Christi naturale corpus non edatur: imo non tantum Romanensibus, sed eorum etiam quibusdam, qui ab Evangelio stare videntur, iam operae pretium visum est de his pauca velut praesidiolum submittere, ut si cui quid obscurius dictum esse videatur dilucidius fiat. Faciam ergo id, opitulante deo, hac lege, ut adversarii furori nec responsurus nec calcar daturus sim, sed vestrae Celsitudini sententiam in hac re nostram clarius ac clarius probaturus, hoc modo:

In sacramentis duo omnino consideranda sunt, res et sacramentum sive signum rei. Res est id, cuius causa instituitur signum, quod sacramentum vocamus. In circumcisione res est esse de populo dei; signum autem huius rei sacrae est praeputii incisio. In coena agni res est gratiarum actio pro liberatione ex Aegyptiaca servitute; signum autem huius sacrae rei agnus assus cum reliquis, quae in ea actione fieri mos erat. Sic in baptismo res est esse de Ecclesia Christi; sacramentum in aquam cum sacris verbis tinctio. In eucharistia res est ex fide gratiarum actio pro Christo a deo nobis tradito, et pro peccatis nostris crucifixo; sacramentum autem panis et vini cum sacris domini verbis exhibitio. Cum ergo ista in omni sacramento concurrant: fit ut sacramentis nomen rerum, quarum signa sunt, detur. Hinc circumcisio foedus vocatur, cum foedus esset, gentem istam, ex Abrahamo prognatam, fore peculiarem populum dei; huius autem foederis signum ac veluti sigillum externum erat circuncisio. Agnus vocatur transitus, cum transitus esset ea praeteritio qua percutiens angelus trucidatis Aegyptiis Israëlem praeteribat; agnus autem eius praeteritionis signum externum erat. Nec iniuria signis rerum nomina tribuuntur propter significationem et analogiam. Cum enim circumcisionis signum eis dabatur qui de populo dei essent: iam signum istud significabat rem; puta: esse hunc de populo Israëlitico qui circumcisus esset. Nam in cunctis ceremoniis ac ritibus hoc vulgare est, ut signa et ceremoniae nomina accipiant rerum quarum signa sunt. Testamentum vocatur scriptum et instrumentum; at res ipsa quae testamento legatur et addicitur; puta: pecunia, aurum, argentum, vestis, supellex, domus, ager, imo universa hereditas, sive ex asse sive ex parte, ea inquam res testamenti est. Scriptum vero istarum rerum signum et confirmatio: nam legatio ipsa omnino antecessit et in testante perfecta fuit protinus, ut ista se legaturum spopondit ac decrevit. Huius autem decreti signum, quo aliis quoque legantis voluntas pateat, scriptum est, in quo legata *nomine* continentur, non *ipsa* legata. At tamen scriptum testamentum vocatur, cum id sit res cum voluntate legantis addicta. Claves, cum regnum adeunti principi aut imperatori offeruntur, deditionis signum sunt; cum ipsa deditio sit rerum oblatio ac permissio. At claves quantumvis res non sint, attamen cum dicitur: Urbs aut arx illa vel illa obtulit principi claves, intelligimus aut deditionem aut receptionem esse factam, quae prius fuit decreta quam deditionis aut receptionis signum daretur. In contractibus et stipulationibus conditiones res sunt contractus aut stipulationis. Earum conditionum signum est manus iunxisse; unde quid stipulata manu factum esse dicimus, quod post istud signum minus tergiversari liceat. Cum ergo manuum coniunctionem contractum aut stipulationem vocamus: signo tribuimus rei nomen. Nam manuum complicatio nulla ratione potest esse contractus, sed contractus per certas conditiones antea factas res est; manuum autem coniunctio signum modo est contractus. At hoc signum, quantumvis non est res, additum tamen, rem ipsam veluti testimonio et confessione firmat, quo non liceat inficiari: alioquin inter duos, si perfidia non esset metuenda, satis esset contractus conditiones statuisse.

Ad eum modum in sacramentis quoque censeri oportet. In baptismo

res est esse de ecclesia et populo Christi; baptismus sacramentum est, eam rem significans, nempe suscipientem esse de Ecclesia; non quod baptismus rem praestet, sed ut rem prius praestitam multitudini testetur. In eucharistia res est ex fide gratias agere domino pro beneficiis quae nos per filium suum redimendo praestitit; panis et vini sacrorum symbolorum divinis verbis sanctificatorum sumtio eius rei sacramentum est. Gratiarum ergo actio non est, vel peccatorum remissio, vel panis et vinum Christi corpus naturale; sed ea tantummodo significant atque in rem praesentem velut adducunt repraesentando et contemplationi fidei offerendo. Nam si ista praestarent aut essent, iam res essent, non sacramentum aut signum. Omne autem sacramentum est signum, sicut Sententiarum quoque Magister habet. Si ergo signum tantum rei est: res ipsa non est. Attamen cum rerum vocabula tribuimus signis: iam per hoc non transeunt in res neque etiam res in signa. Ceterum signis vel sacramentis in oratione pro re ipsa uti cum multa gratia coniunctum est; qua figura post Christum Apostoli quoque sunt usi. Quoties vocat Paulus circumcisionem gentem suam, quod ea gens dei esset? Quoties incredulos eodem iure praeputium, quamvis praeputium non esset sacramentum? Sed quoniam circumcisio sacramentum erat, quae pro circumcisis interim, interim vero pro ipso foedere capiebatur, et circumcisioni praeputium opponitur: iam tanta est libere abutendi vocibus cum gratia potestas, ut praeputium, etiam non sacramentum, pro incircumcisis ponatur. Non quod circumcisio id esset quod circumcisi, aut praeputium id quod incircumcisi; sed quod sacramentorum integrum est uti pro rerum vocabulis. Idem ad Titum sic inquit: Quum vero bonitas et benignitas dei salvatoris nostri adparuit: iam sanavit nos, non propter iusta opera quae nos fecissemus, sed pro sua misericordia per lavacrum regenerationis et renovationis spiritus sancti, quem liberaliter effudit in nos per Iesum Christum salvatorem nostrum. Quis hic non videt lavacro regenerationis tribui, quod vere et re ipsa solius divini spiritus est? Quantumvis enim Paulus priore loco dixerit, nos renatos per lavacrum regenerationis, quo tamen apertius intelligatur, protinus ἐφεξηγητικὸν, hoc est, expositivum *et* subiungit ac dicit: per lavacrum renovationis spiritus sancti. An non re ipsa et vere spiritus sancti est regeneratio? Lavacrum ergo regenerationis quum baptismus vocatur: annon sacramentum vere spiritus regenerationis nomen accipit? Quanta vero cum gratia, quum non iam symbolum vocatur lavacrum, sed etiam spiritus divini interna operatio et renovatio, quae sacramento significatur, lavacrum adpellatur? Sic mutuantur rerum ac symbolorum ab se invicem vocabula. Eundem sensum in Ephesiorum epistola, sed densiore atque abstrusiore tropo extulit: Ut sanctificaret illam mundando aquae lavacro cum verbo. Ut hic nihil dicam *verbum* Hebraeis pro *re* accipi; et *in* poni pro *cum*: num Ecclesia alio quam Christi sanguine lota est? Baptismalis ergo ablutio quid nisi huius principalis ac verae sacramentum est? Sed iuxta haec, quis poterit hanc sermonis gratiam vel imitari, qua sacramentum pro re ipsa, cuius sacrum signum est, posuit? Imo quis sacramenta non pro sacris, laetis et venerandis rebus amplectetur, quum nobis tam sublimes res non iam significent, verum etiam suo quo-

dam modo oculis ac sensibus subiiciant? Cum enim vel infans vel catechumenus docetur aut rogatur divinarum rerum confessionem: an non iam verbo divina mysteria praedicantur ac repraesentantur? Cum vero mergitur: an non iam mors Christi atque adeo sepultura ipsa ante oculos ponitur? cum emergit: an non resurrectio? Cum in coena domini mors eius adnuntiatur, non modo praeeuntis sermone, sed fidelis animi laeta gratulatione: an non divina liberalitas exponitur, et cum gratiarum actione in memoriam revocatur? Cum vero panis et vinum, quae ipsis domini verbis consecrata sunt, simul fratribus distribuuntur: an non iam totus Christus velut sensibiliter (ut etiam, si verba requirantur, plus dicam quam vulgo solet) sensibus etiam offertur? Sed quomodo? an corpus ipsum naturale manibus et palato tractandum? Minime! sed animo offertur istud contemplandum; sensui vero sensibile eius rei sacramentum. Liberius enim ac expeditius agit mens, quum a sensibus quam minimum alio vocatur. Quum ergo et sensibus obiicitur quod simillimum est ei quod mens agit: iam non levis est sensuum opitulatio. Adde, quod non est infimi momenti, quod ea signa sic a Christo ipso sunt instituta, ut etiam analogia sua plurimum polleant ad inducendum in rem fide et contemplatione praesentem. Quo fit, ut quandoquidem ad hoc instituta sunt sacramenta, ut sensibiliter doceant, moneant et delectent, non minus quam externa oratio: ut rerum, quarum signa sunt quaeque ipsa vera sunt animi refectio, nomen sortita vehementius animum inflamment, quam si quis citra ista quantumvis religiose divina beneficia recolat. Et cum haec sic habeant: factum quoque est, ut doctissimi ac sanctissimi homines sacramentis, nec iniuria, creberrime pro rebus, quarum sacramenta et signa sunt, uterentur, non ignari cui quidque acceptum ferendum esset. Ut in superiore exemplo Pauli, de mundatione per lavacrum aquae cum verbo, manifeste patet. Solus enim Christi sanguis est, qui ad aram crucis allatus, et ad quatuor cornua orbis oblitus, et ad basin totius terrae fusus, mundum expiavit. Attamen ista cum recoluntur, sacramentis non tantum ante oculos ponuntur, sed in mentem usque penetrant. Verum, quo duce? Spiritu: nisi enim cum catechumenum baptizamus, fides cor illius antea occupaverit, quae ista sic contempletur ut ea velut praesentia re ipsa habeat, iam nihil potest externa neque adnuntiatio neque admotio. In baptismo infantium satis est fides parentum aut, si illa quoque fallit, fides ecclesiae. Imo istam fidei contemplationem non credo satis grandem esse, nisi rem ipsam tam certe ac indubitate teneat, ac si naturaliter adesset sensibus exposita. Quo factum est, ut veteres dixerint corpus Christi vere esse in coena: id autem duplice nomine, quum propter istam, quae iam dicta est, certam fidei contemplationem, quae Christum ipsum in cruce propter nos deficientem nihil minus praesentem videt, quam Stephanus carnalibus oculis ad dexteram patris regnantem videret. Et adseverare audeo, hanc Stephano revelationem et exhibitionem sensibiliter esse factam, ut nobis exemplo esset, fidelibus, cum pro ipso paterentur, eo semper modo adfore, non sensibiliter, sed contemplatione et solatio fidei. An enim non multi tam inconcussa fide sunt praediti, ut si iam ad supplicium rapiantur, Christum tam praesentem habeant, ut quamvis superne

non immineat eis visibiliter, eam adparitionem nihil morentur? Tum propter naturam humanam, vere a dei filio susceptam: urgebat enim veteres Marcion hac arte, quandoquidem Christianorum vulgus non diserte noverat discriminare inter utriusque in Christo naturae proprietatem et opera, et tamen videret inter haec quaedam esse, quae vero corpori nulla ratione congruerent; quae tamen Marcion aut nesciebat aut nolebat in divinam naturam reiicere. Unde facilius apud imperitos colligebat Christi corpus non verum ac naturale fuisse, sed spirituale et phantasticum. Cui errori ut feliciter occurrerent patres: coenam opponebant, in qua Christus corporis sui, nimirum veri et naturalis, sacramentum instituisset, quod corpus non spirituale aut phantasticum, sed verum repraesentaret. Hanc ergo ob causam, vere adesse Christi corpus dixerunt in coena, sed solum sacramentaliter. Et nos nunquam negavimus corpus Christi sacramentaliter ac in mysterio esse in coena, quum propter fidei contemplationem, tum propter symboli, ut diximus, totam actionem. Quae nostra declaratio et expositio apud Tertullianum nullo labore deprehenditur.

Cum igitur omnis ista praesentia nihil sit sine fidei contemplatione: iam fidei est ista esse aut fieri praesentia, non sacramentorum. Quantumvis enim sensum compescant et adducant aliquo modo ad reverentiam rerum quae geruntur, attamen nihil possunt ancillae istae, ni hera fides prius in pectoris solio imperet ac regnet. Unde constat sacramenta non iustificare aut gratiam facere posse: nescimus enim aliam iustificationem quam fidei. Sequitur etiam, ut gratia non sit sacramentis alligata. Id quod nulla eget probatione: nam si esset sacramentis alligata, iam quocunque admoverentur prodessent et repararent. Cum autem id sit a vero alienum (sunt enim qui propter perfidiam iudicium sibi manducant et bibunt): iam constat sacramentis non esse gratiam alligatam, et secundum hoc nec iustificare nec iustificationem dispensare, sed fidem aut promissionem quae prius adest suis quasi fomentis incitare, atque testari reliquis de ecclesia membris. Quae omnia luculentiora fient cum divi Augustini testimonia duo audiverimus.

Augustinus de Trin. lib. 15. cap. 26. „Neque enim aliquis discipulorum eius dedit spiritum sanctum. Orabant quippe ut veniret in eos, quibus manum imponebant, non ipsi eum dabant. Quem morem in suis praepositis etiam nunc servat ecclesia. Denique et Simon Magus offerens Apostolis pecuniam non ait: Date et mihi hanc potestatem ut dem spiritum sanctum; sed: Cuicunque, inquit, imposuero manus, ut accipiat spiritum sanctum. Quia neque scriptura superius dixerat: Videns autem Simon quod Apostoli darent spiritum sanctum; sed dixerat: Videns autem quod per impositionem manuum Apostolorum daretur spiritus sanctus. Propter hoc et ipse dominus Iesus spiritum sanctum non solum dedit ut deus, sed etiam accepit ut homo, propterea dictus est *plenus gratia*. Et manifestius de illo scriptum est in Actis Apostolorum: Quoniam unxit eum deus spiritu sancto: non utique oleo visibili, sed dono gratiae, quod visibili significatur unguento quo baptizatos ungit ecclesia. Nec sane tunc unctus est Christus spiritu sancto,

quando super eum baptizatum velut columba descendit: tunc enim corpus suum, id est, ecclesiam suam praefigurare dignatus est, in qua praecipue baptizati accipiunt spiritum sanctum etc.

Ex his Augustini verbis tria nobis consideranda sunt. Primum, quandoquidem negatur spiritus sanctus dari per discipulos, sed eos tantummodo precari: multo magis, neque sacramentis per ministros adhibitis, alligatam esse spiritus sancti collationem. Secundo neque manuum impositioni, quod ipse non nego sacramentum esse, alligatam fuisse spiritus sancti collationem. Quum enim solum orarent ut eis daretur spiritus sanctus quibus manum imponebant: iam non promittere hoc impositione manuum suarum poterant. Postremo, Augustinum, quum dicit: „In qua praecipue baptizati accipiunt spiritum sanctum," sic omnino symbolice locutum esse (nec enim ista voce *praecipue* sic usus est, quasi certitudinem aliquam significet, ut qui baptizantur certum sit spiritum sanctum accipere; sed ut ea velut indicet, quomodo his vocibus fit *puta*, *nempe* et similibus. Ad hunc sensum, ut puta, in qua ecclesia baptizati accipiunt spiritum sanctum), ut spiritum sanctum recipere non sit baptismi opus, sed baptismus sit opus recepti spiritus sancti. Quo item respexit Franciscus Maronis [1] cum in argumentorum adnotatione sic inquit: „Secundum argumentum, quod illi qui ministrant sacramenta, si ipsa sacramenta per suam virtutem gratiam causarent, tunc tales ministri spiritum sanctum darent." Haec ille. Quo manifestum fit, quacunque ratione aut figura sermonis opus aliquod spiritus sancti symbolis aut sacramentis tribuitur, metonymiam fieri, quum a re principali nomen ad symbolum transfertur. Ipsa enim Augustini adnotatio, quomodo Christus dudum acceperit ante baptismum spiritum sanctum, et quomodo Apostoli non dent spiritum sanctum, probat neque ministri neque sacramenti esse spiritus sancti familiarem coniunctionem. Ex quo protinus sequitur, symbolicos non naturales esse sermones, cum sacramentis tribuitur quod spiritus est. Quod iam altero testimonio fiet apertius.

Augustinus libro Quaestionum tertio, Quaest. 84: „Advertendum est quoties dicit: Ego dominus qui sanctifico eum, loquens de sacerdote, cum hoc etiam Mosi dixerit: Et sanctificabis eum. Quomodo ergo et Moses sanctificat et dominus? Non enim Moses pro domino, sed Moses visibilibus sacramentis per ministerium suum, dominus autem invisibili gratia per spiritum sanctum, ubi est *totus fructus* etiam visibilium sacramentorum. Nam sine ista sanctificatione invisibilis gratiae visibilia sacramenta quid prosunt? Merito autem quaeritur, utrum etiam ista invisibilis sanctificatio, sine visibilibus sacramentis, quibus *visibiliter homo sanctificatur*, pariter nihil prosit? Quod utique absurdum est. Tolerabilius enim quisquam dixerit, sine illis istam non esse, quam si fuerit, non prodesse, cum in *ista* sit omnis utilitas illorum. Sed etiam hoc, quod sine illis ista esse non possit, quomodo recte dicatur, in-

1) Ordinis fratrum minorum, Scholasticus, circa 1320. Collectio multorum eius librorum theologicorum Basileae 1498. typis excusa in lucem prodiit.

tuendum est. Nihil quippe profuit Simoni Mago visibilis baptismus, cui sanctificatio invisibilis defuit. Sed quibus ista invisibilis quoniam adfuit profuit, etiam visibilia sacramenta perceperant; similiter baptizati. Nec tamen Moses, qui visibiliter sacerdotes sanctificabat, ubi fuerit ipse ipsis sacrificiis vel oleo sanctificatus ostenditur. Invisibiliter vero sanctificatum negare quis audeat, cuius tanta gratia praeeminebat? Hoc et de Ioanne Baptista dici potest. Prius enim baptizator quam baptizatus adparuit. Unde eum sanctificatum nequaquam negare possumus. Id tamen in eo factum visibiliter non invenimus, antequam ad ministerium baptizandi veniret. Hoc et de latrone illo, cui secum crucifixo dominus ait: Hodie mecum eris in paradiso. Neque enim sine sanctificatione invisibili tanta felicitate donatus est. Proinde colligitur invisibilem sanctificationem quibusdam adfuisse atque profuisse sine visibilibus sacramentis, quae pro temporum diversitate mutata sunt, ut alia tunc fuerint et alia modo sint; visibilem vero sanctificationem, quae fieret per visibilia sacramenta, sine ista invisibili posse adesse, non posse prodesse. Nec tamen ideo sacramentum visibile contemnendum est. Nam contemtor eius invisibiliter sanctificari nullo modo potest. Hinc est quod Cornelius et qui cum eo erant, quum iam invisibiliter infuso sancto spiritu sanctificati adparerent, baptizati sunt tamen; nec superflua iudicata est visibilis sanctificatio, quam invisibilis iam praecesserat." Hactenus Augustinus. Quorsum attineret nunc istam Augustini sententiam luce clariorem per partes retractare? quum obvium sit cuique Augustinum olim id sensisse, quod nos hodie sentimus. Nempe: sanctificationem spiritus veram esse sanctificationem, quae sine externa, dummodo ea non contemnatur, sicut in latrone videre est, sola sufficit ad iustificationem; imo externa sine illa nulla est. Deinde externam sacramentorum iustificationem neminem contemnere debere aut negligere. Imo externam non potest negligere aut contemnere quicunque fidem habet, quum datur occasio. Quis enim quae caritatis sunt posthabere poterit? Caritas autem dei et proximi nonne gestit beneficia dei recolere, laudare et gratias agendo magnificare? nonne gestit proximo vinculo spiritus coniungi et illud palam testari? nonne cupit ubi fidem labi senserit fulciri et in locum restitui? Id autem ubi gentium commodius, quam in ipsa sacramentorum actione, inventurum se sperare poterit, quantum ad omnia sensibilia pertinet. Esto enim, omnes creaturae invitent nos ad numinis contemplationem; at omnis ea invitatio muta est. In sacramentis vero viva et loquens est invitatio. Loquitur enim dominus ipse, loquuntur et elementa, atque idem loquuntur et suadent sensibus, quod menti sermo et spiritus. At tamen haec visibilia omnia nihil sunt, ni invisibilis sanctificatio spiritus praecedat. Sic, ne nimis longus sim, cum omnibus adversariis, in hac de sacramentis et eorum virtute controversia ad arbitrum aut sequestrem Augustinum reiici me patiar. Nam nihil adeo magnifice potest de sacramentis dici quod me possit offendere; dummodo symbolice dicta quae sunt symbolice capiamus, et demus gloriam deo; non ministrorum sanctitati, non elementorum aut sacramentorum efficaciae. Quum enim, ut in baptismo et eucharistia irrefragabile est, id quod sacramentis significatur antequam sacramentis utamur adsit: quae malum ratio est,

sacramentis ea tribuere quae antea habuimus? quum sacramenta id modo quod habemus confiteantur, testentur et exerceant. Quousque tentamus spiritum dei in re tam aperta? Annon tandem admittitur ad baptismum qui aut per fidem aut per promissionem prius ecclesiae connumeratus est? Num non repellitur ab Apostolo a coena domini quisquis fidem suam non exploravit antequam convivam se faciat? Frustra igitur erunt sacramenta? Minime, ut dictum est. Praedicant enim salutem a deo datam, sensus huc convertunt et subinde fidem exercent quam et proximo pollicentur, et ad fraternam caritatem trahunt. Atque haec omnia dum fiunt, unus atque idem operatur spiritus qui in spirando nunc citra instrumentum trahit, nunc cum instrumento, quo, quantum et quem vult.

Diximus in superioribus de sanctificato et consecrato pane, quod nullo modo volumus Papistarum sensu capi, quasi panis sit conversus in corpus Christi reale aut naturale; sed in sacramentale. Puta, si quotidianus panis sanctificatur per verbum et orationem: multo magis ille panis qui mutatur ut sacramentale corpus Christi nunc sit, qui prius vulgaris erat, sanctificatur et consecratur ut iam divinus panis sit ac sacer; prorsus ad eum omnia modum quo veteres illum mutari et sanctificari dixerunt, non ita ut panis substantia in substantiam corporis Christi transeat, sed quod panis sacramentale corpus Christi fiat. Quid autem sit sacramentale corpus Christi, non est cur scientibus dicam. Modo nolimus ipso sacramenti nomine rudibus imponere, et signa sinamus esse signa! Quod si quis mihi dicat: Si sententiam de virtute sacramentorum sententiae Augustini subiicis: quid causae est cur non redeas in gratiam cum Papistis? Respondeo, plurimum dissidii superesse. Illi enim tribuunt sacramentis, quasi alligata sit eis divina virtus, ut ubicunque adhibeantur operentur: hoc enim rem illis auget, ut qui omnia dei dona venalia habent, imo deum ipsum longe carius quam Iudas vendunt. Nos autem sacramenta non conferre gratiam dicimus, sed collatam exercere ac testari, quae tanti emuntur quantum gratiae habetur. Id autem quod prius habetur non emitur; exercitium vero eius a nullo potest comparari nisi externum, quod citra internam fidei gratiam nihil est. Probet enim se ipsum homo, inquit Paulus; non vero: Probet quisque alium, aut sanctificet alius alium! Hactenus de sacramentorum virtute. Nunc de Eucharistia brevioribus agemus. His enim duobus velut columnis nititur Romana avaritia.

Eucharistiae certamen, si verbis eius fides esset, Eccius ipse diremisset, cum dixit in mysterio edi Christi corpus in coena: nos enim idem dicimus. Deinde dixit corpus quidem edi in coena, sed non corporaliter. Nos iterum idem dicimus. Sed cum ille dicit *in mysterio* iam dolum struit in voce *mysterii*; idem facit in voce *corporaliter*. Mysterium enim non intelligit, Graecis id fere esse quod Latinis sacramentum. Ut cum veteres dixerunt edi corpus Christi, intellexerunt, quasi dicas *mysterialiter* aut *sacramentaliter*. Nam si sic intelligeret: omnino concordia concinnata esset. Aeque transacta esset omnis controversia, si *corporaliter* acciperet pro *naturaliter* aut *substantialiter*. Sed quum inter verum et naturale Christi corpus atque inter

sacramentale tertium quoddam invenerunt, non istud spirituale quod nos edimus, verum tale quod non sit, quantum neque naturale neque etiam sacramentale, hoc est, symbolicum et significativum: iam satis scio quo sese proriperent, etiam si centies cum illis congredereris. Habent enim latebras duas in quas confugiunt. Una est, truncum esse qui fictum istud suum corpus non capiat. Altera, verba hoc posse quod sonent. Cui hoc unum obstruimus (nam priori latebrae posteriore loco obstabimus): Dicat igitur mihi, vel daemonio isti, quo me captum perhibet Eccius: Obmutesce et exi de illo! et videat quomodo obmutescamus, dum ille tam impudenter mentitur et tam impie veritatem discerpit. Non enim est cur hoc mihi deneget. In humanis sum, sponsum etiamnunc expecto, spes veniae adhuc in tuto est, unde per caritatem hoc mihi debet. Impotentiam causari nequit: verba enim possunt quod sonant; et sunt verba Christi. Sed missis istis, ad cognitionem corporis Christi, supplici prece ad illum ut nobis aperiat fusa, penetremus!

Cum nullis mortalium nobis est dissidium de verbis coenae, quasi velimus ista immutata esse, ut quidam, aut prorsus sublata, ut alii calumniantur. Cum enim sic sonant: *Hoc est corpus meum*, iam ipsum sacramentum augustius est quam si diceremus: Hoc significat corpus meum, ut omnino nihil velimus mutatum esse. Sublata vero e medio quomodo cupiemus, quae ne mutata quidem volumus? Habent ergo adversarii nostri verba ista; habemus et nos. Verba ista illis inconcussa maneant! nam et nobis immota manebunt: Hoc est corpus meum quod pro vobis datur, et hic est sanguis meus etc. Dicunt adversarii hic praeberi corpus Christi; idem et nos dicimus. Ubi ergo dissidium est? Hic est: Dicunt adversarii corpus Christi naturale et substantiale praeberi, nos sacramentale. Hinc pugnae. Respondeant igitur, an velint verba ista: Hoc est corpus meum, naturaliter intelligere aut spiritualiter; hoc est: an corpus suum praebuerit naturaliter edendum an spiritualiter. Nam inter naturale sive corporale et spirituale non est medium. Etiamsi universa, creatorem et creaturas, in unum cogas: aut spiritus erunt aut corpus. Huc ergo arenae illos expostulo, an scilicet naturaliter ac corporaliter, an vero spiritualiter praebuerit corpus suum edendum. Si dicant spiritualiter: iam cesserunt sententia et ad nos transierunt. Si dicant corporaliter: iam negabunt sua placita. Dicunt enim corpus edi, at non corporaliter; quae quidem declinatio verborum est, non rei. Nam si Christi corpus corporaliter et naturaliter est corpus, et isti naturale corpus edunt: edunt etiam corporaliter, nam aliter edere quam est frivolum est dicere. Nihil enim moror ea, quae me ignorare adseverat Eccius, corpus verum ac reale, at non corporaliter, definitive, circumscriptive esse in loco, et id genus nugas verba quaerentium. Nos enim ad veritatis fontes recurrimus, et dicimus: Si corpus Christi finitum est, si vero clarificatum corpus est quomodo et nostra erunt: iam corporaliter est, et vere est eo modo quo clarificata corpora sunt. Quomodo igitur est, eo modo editur, si naturaliter editur. Nam *quomodo* a naturali corpore separari nequit. Si vero *quomodo* ab eo separes: iam non est naturale corpus, sed spirituale. Et iterum vicimus. Nam quomodo sit res, intellectu potest

separari a re; at re ipsa separari nequit: quicquid enim est, suae speciei proprium et inseparabile habet quomodo sit, sine quo nunquam est nec esse potest quam diu ea species manet; quicquid tandem intellectus nostri separent, addant, colligant, disiiciant. Quod fortasse Eccius Sophistica seductus non intelligit. Nos autem intelligimus et scimus nos vera et firma dicere, cum L. S. testimoniis, tum divi Augustini sententia fulti, qui Christi corpus in aliquo coeli loco ponit propter veri corporis modum. Si verum Christi corpus modum corporis sic habet, ut in aliquo coeli loco sit positum: proprium ergo et inseparabilem modum tribuit illi Augustinus. Cogemus igitur qui naturale, substantiale aut reale Christi corpus naturaliter, substantialiter ac realiter edere volent, etiam corporaliter edere secundum omnia quae inseparabiliter adsunt corpori: nam praeter istos modos verum corpus non esset. Quod perpetuo clamamus, sed etiam perpetuo frustra. Tenet odii, ignorantiae et vanae gloriae adfectus, humanos oculos ubi superaverit, perinde ac tyrannus liberum hominem, ut quemadmodum ille non audet quod verum est proloqui: sic hisce adfectibus praestigiatus nihil videat quod verum est ac infallibile, ut non sit, o prudentissimi Germaniae proceres, cur cuiquam doctorum fidatis, qui hoc seculo in hanc contentionem inciderunt. Sed dominus exorandus est, ut fluctuantes sistat. Satis enim vobis perspectum est, quam frivolas glossas, quas verborum versuras excogitent, qui ne victi videantur nunc a divinis literis ad patres provocant, mox a patribus ad nuda (ut ipsi aiunt) verba. Interrogate fidem vestram atque adeo mentem et cor vestrum, et illa dicent omnino spirituale esse quod hic saturat. Quod si confiteamini: cur dissidemus? quum nos idem et sentiamus et confiteamur? Porro quod sacramentum corpus non tantum appellatur, sed etiam sensibiliter repraesentat et significat, quo sensus quoque nostri aut moneantur aut compescantur, iam nos non offendit, ut etiamsi universa quae spiritus operatur externo sacramento referantur, dummodo symbolice dicta, quomodo patres locuti sunt, intelligamus, nihil simus succensuri. De verbis stultum est contendere, cum in re non dissentiamus. Dudum diximus corpus Christi esse in coena, fidei contemplatione. Nunc quocunque se vertant omnes adversarii nihil opis invenient quo aliter in coenam trahant. Quae ergo iniquitas est, a clamosis et rixosis hominibus alio trahi? Sed ut finiamus hanc querimoniam, exemplum breve ponemus, in quo nostra de Eucharistia sententia velut adumbretur.

Cum paterfamilias peregre profecturus nobilissimum annulum suum, in quo imago sua expressa est, coniugi matrifamiliae his verbis tradit: En me tibi maritum tuum quem absentem teneas et quo te oblectes! iam ille paterfamilias domini nostri Iesu Christi typum gerit. Is enim abiens ecclesiae coniugi suae imaginem suam in coenae sacramento reliquit. Sicut enim ille spei nostrae firmamentum est: sic panis homines confirmat. Et sicut vinum cor hominis exhilarat, sic ille desperabundas conscientias erigit. Hanc suam imaginem sic tradidit: Hoc est corpus meum sacramentaliter atque in signo, sicut annulus est paterfamilias. Hoc facite in meam commemorationem, gratulando, laudes et preces fundendo ac offerendo, quod ego sponsus animorum vestrorum vos

redemerim. Cum isthic paterfamilias dicit: En me ipsum tibi! longe plus dat quam si diceret: En tibi annulum meum, etiamsi re ipsa et corporaliter sese non det, ut qui iam abiturus sit. Se ipsum autem his verbis totum, quantus quantus est in coniugali fide et amore, donat; quasi diceret: Nolo, de fide et amore in te solummodo certa sis; sed de hoc quoque quod totus tuus sum, et huius rei gratia annulum istum tibi, quem unicum ac summum habeo, tibi do symbolum ac signum, ut quoties eum intuearis me velut praesentem habeas, imaginem ac fidem meam recolas. Sic in Eucharistia, quum homo ille nobilis abiturus esset in regionem longinquam, panem ac vinum praebens, longe vividius ac peculiarius sese nobis dedit, cum diceret: Hoc est corpus meum, quam si dixisset: Hoc est symbolum corporis mei; etiamsi naturale corpus suum ablaturus ac coelo illaturus esset. Nihilo tamen minus sese totum, quod ad fidem et gratiam pertinet, his verbis donat; quasi diceret: Nunc in mortem pro vobis eo, paulo post ex integro hinc migraturus. At nolo de amore et cura in vos mea ambigatis. Totus vester sum, quantus quantus sum. In cuius rei testimonium huius meae traditionis ac testamenti symbolum vobis commendo, quo memoriam mei meorumque beneficiorum excitetis. Ut cum vobis hunc panem et hunc calicem exhiberi videatis in memoriali coena, non aliter sitis mei memores, scilicet pro vobis traditi, quam si videretis me coram quemadmodum nunc videtis, et vobiscum convivari et mox ad supplicium pro vobis a vobis auferri etc. Sic inquam nos coenam Domini splendidam Christi praesentia habemus. At in his omnibus annon sacramentaliter et fidei contemplatione corpus Christi praesens esse, ut semper diximus, summa totius rei est? Ut enim annulus ille coniugis uxori non vulgare aurum est, sed plus quam universa Indiae myrmecia: sic et nobis hoc sacramentum, coenae scilicet dominicae cibus et potus, omnem gustum omnium lautitiarum superat. Et sicut annulus re ipsa maritus non est, ad pretium tamen mariti adspirat, quod ab illo est in perpetui amoris signum datus, quodque illum quoties inspicitur, repraesentat: sic coenae refectio Christi corpus naturale non est; sed in pretium ingens ascendit quod ad perpetuum amoris Christi signum data et instituta est, quodque illa quoties celebratur, eum, qui nos sic amat, sic repraesentat ut mentis oculis illum intueamur, miremur, exosculemur. Quae fidei contemplatio, ut longe pretiosior est quam corporis illius etiam contrectatio (contrectarunt enim illud in suam perniciem multi corporaliter, sed fide nemo unquam sic contemplatus est, ut diximus, absque salute): ita haec una contemplatio sive manducatio in coena requiritur. Probare enim fidem iubet Paulus; non credulitatem aut opinionem, num non ambigamus de corporali comestione. Hic quoque id nullatenus praetereundum est: uxorem mariti annulum tanti facturam quantus est amor in illum. Sic in coena Christi corpus tanto praesentius est fidei contemplatione menti, quanto maior est fides et caritas Christi. Hinc nati sunt huiusmodi sermones: Ferebatur suis manibus, non aliter puta, quam cum sese maritus exhibebat uxori; conviva erat et convivium: is enim erat qui se sacramentaliter exhibebat, et naturaliter cum illis adsidebat et convivabatur. Sic inquam intelligimus hyperochas et

hyperbolas de eucharistia. Et quod iam saepe testati sumus, omnes huiusmodi sermones facile feremus; dummodo quae de spirituali manducatione dicta sunt, non carnaliter pergamus intelligere, et quae symbolice dicta sunt, in signo, ut Augustinus quoque loqui solitus est, intelligamus.

Porro quod ad Eccium attinet, adeo elumbis ac impotens est eius confutatio, ut confessio nostra defensione nihil egeat. Et ubi sui quid sperare debuissent, ibi totus friget, puta, in solicitandis a nobis veteribus, et evertendis argumentis. Quem enim ille risum cui non moveat, cum Augustini haec verba: „Non enim dominus dubitavit dicere: Hoc est corpus meum, cum signum daret corporis sui," sic exponit: Accidentia quae sine subiecto sunt signum sunt corporis Christi. Dico enim: Ergo accidentia sunt sacramentum: nam signum ut hic ponitur pro sacramento accipitur. Ergo Augustinus dixit, Christum accidentia praebuisse discipulis: dicit enim: Quum signum daret. Ergo cum ipsi dicunt: Christi corpus est in sacramento altaris, dixerunt: Christus est in accidentibus. Ergo falsum est quod docent, Christi corpus scilicet sacramentum esse et rem sacramenti: nam accidentia sunt sacramentum; aut Christi corpus est illis accidens. Et huiusmodi stulta et absurda quis enumeret, quae ad eius dicta et glossas sequerentur? Hoc quoque bellum est quod de duabus manibus, una anima rectis, philosophus tamen ni diis displiceat, adducit. Quasi vero concedat duo corpora Christum simul habuisse, quemadmodum sunt duae manus: nam de animo Christi quot ille simul membra regat, nunquam disputavimus. Aut quasi, quum vult unum animum Christi duo simul corpora rexisse, quod impium est, duo ista secundum Eccium corpora Christi paria similiaque fuerint; perinde ac duae manus pares sunt. Cum nos, si duo haberet corpora Christus simul, dixissemus imparia esse oportuisse, alterum morti obnoxium, alterum immortale. Sed de hisce ineptiis desino disputare.

Porro de calumniis et mendaciis hoc dico, tot ac tanta esse ut si ea e libro tollas, nihil futurum esse reliquum quod Vulcano sacrifices, quo uno dignus est liber, etiam si quid veri haberet, ne tanta et impunita rabies unquam in exemplum veniret. Qualia sunt, urbes me quasdam a fide domus Austriacae alienasse; seditiones Rotvillae, ubi nunquam fui, et Ittingae, cuius causa maxime indolui et labores multos tuli, excitasse; Balthazarem Catabaptistam ad errorem per epistolam traxisse, ad quem, praeter unam in qua propter susceptum errorem acerrime hominem accepi, nullam unquam dedi, quum suspecta semper esset mihi eius tum ingenium tum commercium. Primo enim congressu quo ille me adiit narravit, quam anxie fuerit Eccio coniunctus. Ibi mox hominis per se arrogantis pravitatem hoc contubernio auctiorem esse factam nihil dubitavi, unde illum propius nunquam admisi, ut aliquando per convitium expostulaverit mecum, quasi se talem iniuria negligerem. Quod autem vel a baptismo infantium unquam abhorruerim, vel Catabaptismum redoluerim, nemo boni ac veri amans unquam de me dixit. Testes enim non vulgares sistere possum qui sciunt, quomodo aliquorum lucubrationes, quas biennio postquam Catabaptistae prodirent, concinnaverant, de non baptizandis infantibus, oppresserim, intra tamen amicitiam,

atque monuerim scripturarum sensum hac in re aliter habere. Si Balthazar hanc syngrapham meam habuit, nimirum aut carnifices eius apud illum deprehenderunt, aut Catabaptistis ille reliquit. Exhibeant ergo qui habent, et me proditionis aut perduellionis manifestum faciant!

Eiusdem generis est, quod dicit me veteribus Orthodoxis obtrusisse, quasi illi scripserint corpus Christi esse ubique. Quod de crucibus in Missa ad confutandum et dehortandum dixi per ἄτοπον, hoc ille me definitive dixissé adseverat. Id ego nego et pernego. Sed quis tam stolidus sit atque nos, si pergamus mendacis hominis universa mendacia recensere? Hactenus de his quae ad doctrinam pertinent: nam cetera quae huius generis ille vellicat, non iam docti, sed lippi et tonsores ab eius iniuria defendent.

Civitatem Tigurinorum vetustissimam (id quod res priscae, et maxime Lucius Cassius Consul Romanus ab eis caesus iam tot seculis praedicat) non tantum in Carolum Magnum reiicit homo rerum imperitus; verum etiam confictis mendaciis sic coram mundo proscindit, ut pessime meritam urbem non possit impudentius. Cum constet tam istis quam retro temporibus nullam, nullam dico, tanta fide tot seculis Rom. imperium coluisse; nullius etiam unius opera maiora emolumenta ad Austriacam domum atque adeo ad imperium ipsum rediisse. Qua in re ducum Austriae et imperatorum diurnales ad testimonium cito, post veteres historias. Ea urbs, vera dico, quamvis aerarium suum in Evangelii usum hauserit: ne unum tamen ex monasteriis in aerarium retulit; sed universa aut manent ad sustentationem eorum, qui in monasteria instituti, vel qui doctrinae praefecti sunt, aut in aerarium pauperum referuntur. Nos cistam nullam habemus nec furari didicimus.

Proinde, illustrissimi Principes, videte quo tendat Papae promachus! Romanenses vice Synodi, nimirum generalis, habituros comitia ista vestra, nihil obscure significat; Caesarem apertius ad arma vocat. Quae quo eruptura sint, Celsitudo Vestra prospiciat! Imminent undique pericula; sed ea omnia dissipabit dominus si veritatem ac iustitiam manu teneatis. Contra veritatem aliquid statuisse pernicies est; ei vero cessisse prima salus. Hanc ut hic colamus atque per speculum intueamur, isthic vero contemplemur et amplectamur, det Deus Optimus Maximus! Amen. Tiguri 27. die Augusti. Anno MDXXX.

CHRISTIANAE FIDEI
A HULDRICO ZUINGLIO PRAEDICATAE
BREVIS ET CLARA EXPOSITIO
AB IPSO ZUINGLIO PAULO ANTE MORTEM EIUS
AD REGEM CHRISTIANUM SCRIPTA
HACTENUS A NEMINE EXCUSA ET NUNC PRIMUM IN LUCEM EDITA.

MATTH. XI. VENITE etc. MDXXXVI.

Iam anno 1526. commendaverat Zuinglius litteris Commentario de vera et falsa religione praefixis Francisco I. regi Galliae reformationem ecclesiasticam. Inde ab anno 1530. exeunte legati Galliae Paisrigault et Maigret agebant cum magistratibus Tigurinis tum sacrum bellum declinandi causa, tum eos ad foedus cum Gallia pellecturi, ipsique reformationi favere videbantur. Zuinglius autem, spe reformationi spatium amplius in Gallia patefaciendi inductus, manum dare ac velut primis lineis designare, qua ratione civitates Helvetiae reformatae cum rege in 15 — 20 annos ad christianae religionis defensionem foedus facere expediret. Quumque Maigret posceret Zuinglium, ut quo invidia, qua regis animus praeoccupatus esset contra Zuinglii doctrinam, discuteretur, expositionem ad eum mitteret: satis fecit optato Zuinglius, atque isthaec expositio per Rudolfum Collinum, Tigurinorum legatum, in aulam Gallicam vere anni 1530. perlata est. Simmlerus adnotavit in sua collectione Manuscriptorum Vol. XXIX. ad exemplar huius libri: hanc professionem fidei, ut ea data sit ad Franciscum I. regem Galliae, adhuc extare in regia bibliotheca Lutetiae Parisiorum. „Monente D. Maigret Leg. R. ad Helvetios scripta est expositio christianae fidei a Zuinglio mense Iulio 1531, edita vero per Bullingerum mense Februario 1536." — (Confer. Zuinglii epistolae annorum 1530 et 31, et Hotting.

Hist. Confoederationis inde a discidio ecclesiae II. p. 311 sqq. et 322.)

Originalis editio in lucem prodiit apud Froschoverum Tiguri 43 foliis 12. ac vernacula versio a Leone Iudae facta ibidem 72 foliis 8. huius tituli: Brevis ac distincta summa sive expositio Christianae fidei ab Huldrico Zuinglio praedicatae, nuper ante eius obitum ad regem Christianum scripta. Leo Iudae comites addidit litteras ad amicum suum, Wernerum Steinerum. Gualterus hoc scriptum intulit in Opera Zuinglii ab ipso edita Vol. II. pag. 550 b — 564 b.

Quod Zuinglius hoc in libello etiam Gentiles generosos inter caelicolas retulit ac beatos vocavit et sanctos, id grandem habebat offensam apud Theologos sui et proximi praesertim seculi, atque Lutherus inprimis hanc sententiam quasi nefandam exprobrare coepit; pauci vero praeter Bullingerum ac Helvetios Reformatores laudaverint. Vetus dominus exemplaris, quod alter editorum ad manum habebat, nomina Gentilium uncis exclusit atque in margine hunc in modum monuit: „Fide destituti vitam aeternam non habent.“ O sancta simplicitas! immo, o sacra insania mentis! Alter autem editorum in exemplari quod e bibliotheca I. I. Breitingeri, Canonici Tigurini, doctrinae et humanitatis laudibus praeclari, coëmtum habet, additamenta nonnulla reperit ex autographo Zuinglii collato excerpta suisque ea indicavit locis.

H. Bullingerus, successor Zuinglii, qui postumum hoc eius opusculum in lucem protulit, hunc in modum praefatus est:

PIO LECTORI S.

Quanquam fidelissimus evangelii praeco et Christianae libertatis assertor constantissimus H. Zuinglius omnia sua clare, circumspecte et dilucide dixerit, hoc tamen libello sese veluti superans de vera fide nescio quid cygneum vicina morte cantavit. Exponit perspicue et breviter quae sit vera fides, quaeve pia religio. Respondet item calumniatoribus fidem et praedicationem evangelicam infamantibus, adeoque apologeticum quendam absolutum pro fide et religione vera omnibus cum regibus tum principibus Christianis offert. Noluimus te tanto fraudare thesauro;

quantoque in deum filium suum religiosior, tanto minus feret numinis cultum. Impiorum enim hominum ac daemonum est insania quum sibi divinos honores impendi patiuntur. Quod daemonum idola et Herodis fastus testantur, quorum isti, cultum suum docendo, mundum perniciose fefellerunt; hic vero quum numinis attributum honorem non repelleret, pediculari morbo, quo humanam imbecillitatem disceret agnoscere, plexus est. Sacramenta vero sic veneramur et colimus ut signa et symbola rerum sacrarum, non quasi res ipsae sint quarum signa sunt: quis enim tam imperitus esse queat, ut signum dicat id esse quod significat? Sic enim ista vox *Simia* nunc hic scripta, maiestati tuae veram simiam ante oculos statueret. Sed quod sacramenta sint rerum verarum significationes: quae res vere per essentiam et naturaliter aliquando gestae sunt, eas inquam res inferunt, commemorant ac velut ante oculos ponunt. Sane quaeso me intelligas, o rex! Christus morte sua expiavit scelera nostra; iam eucharistia huius rei commemoratio est, quemadmodum ipse dixit: Hoc facite in meam commemorationem! Qua commemoratione universa commemorantur dei beneficia, quae nobis per filium suum praestitit; deinde symbolis ipsis, pane scilicet ac vino, Christus ipse velut oculis praesentatur, ut sic non iam auditus tantum, sed et visus et gustus Christum videant ac sentiant, quem animus in sinu praesentem habet illoque gaudet. Legitimumque ergo cultum tam divorum quam sacramentorum hunc tradimus ac docemus esse, quem Christus ipse tradidit ac docuit. Si filii Abrahami estis, inquit, opera Abrahae facite! Exemplum ergo est, quod in divis et sanctis omnibus debemus imitari. Ut si quis prophetarum aut sanctorum divina monita velut canna propinavit: iam, quae divino spiritu donata nobis sunt et exposita, ea religione accipiamus, qua illi et acceperunt et tradiderunt. Si vitae sanctimonia religionem ornarunt, nos illorum vestigia imitemur, pii sancti, ac innocentes simus quomodo isti fuerunt. De Baptismo sic inquit: Baptizate eos in nomen patris et filii et spiritus sancti. De Eucharistia vero: Hoc facite in mei commemorationem. Et per os Pauli: Unus panis et unum corpus tota multitudo fidelium sumus. Hic neque in divorum cultu neque in sacramentorum instituto habetur, ut eam virtutem ac gratiam, quae solius dei est, possideant. Cum ergo numen ipsum hanc potestatem creaturis nunquam tribuerit quam nos eis tribuimus: iam constat frivolum esse, si vel divos vel sacramenta docemus peccata dimittere bonaque largiri. Quis enim peccata remittit nisi solus deus? aut a quonam sunt optima quaeque dona, sicut divus Iacobus habet, quam a parente omnis lucis ac boni? Docemus ergo sacramenta coli debere, velut res sacras, ut quae res sanctissimas significent, tum eas quae gestae sunt, tum eas quas nos agere et exprimere debemus. Ut Baptismus significet, et Christum nos sanguine suo abluisse, et nos illum debere, ut Paulus docet, induere, hoc est ad eius formulam vivere: sic Eucharistia quoque significet quum omnia quae nobis divina liberalitate per Christum donata sunt, tum nos gratos debere ea caritate fratres amplecti qua Christus nos suscepit, curavit ac beatos reddidit. Sed de Eucharistia, anne naturale Christi corpus in ea edatur, in sequentibus fusius dicetur. Summa: Hic est religionis

nostrae fons, ut deum agnoscamus esse qui increatus creator rerum omnium est quique idem unus ac solus omnia habet, gratis donat. Hoc igitur primum fidei fundamentum evertunt quicunque creaturae tribuunt, quod solius creatoris est. Fatemur enim in symbolo, creatorem esse quo fidamus; non ergo creatura esse potest quo fidendum sit.

III. Porro de Deo sentimus: Posteaquam deum fontem rerum omnium et creatorem esse scimus, fieri nequit, ut quicquam aut ante illum aut cum illo esse intelligamus quod non ex illo sit. Nam si quicquam esse posset quod non esset ex illo iam ille non esset infinitus: non enim extenderetur isthuc, ubi illud aliud esset, cum esset extra illum. Unde fit, ut quum patrem, filium et spiritum sanctum videamus in scripturis deum appellari, ut non sint aut creaturae aut dii diversi; sed ut hi tres unum sint, una essentia, una *οὐσία* id est existentia, una virtus et potentia, una scientia et providentia, una bonitas et propensio; nomina sive personae tres, sed omnes ac singuli deus idem et unus. Hunc deum scimus natura bonum esse: quicquid enim est, natura est. Bonum autem est, quod mite et iustum est. Mansuetudinem enim iustitia exue! iam non erit mansuetudo, sed aut negligentia aut metus. Contra vero iustitiam si non bonitate sive aequitate temperas, iam summa fiet iniuria et violentia. Deum ergo quum natura bonum esse agnoscimus, eadem opera suavem, mitem et liberalem, atque sanctum, iustum et inviolabilem fatemur. Iustus ergo quum sit, iam scelerum contubernium abhorreat necesse est. Ex quo colligitur, ut quum miseri mortales non iam scelerati, sed conscelerati simus, de illius convictu et amicitia desperare cogamur. Rursus autem bonus quum sit, iam aeque necesse est, ut aequo et bono consilium factumque omne temperet. Hic fons est, cur filium suum unigenitum carne amiciverit, ut haec duo toti orbi non modo ostenderet, sed etiam impenderet, redemtionem et renovationem. Quum enim eius bonitas, hoc est, iustitia et misericordia sacrosancta, hoc est, firma sit et immutabilis: iam iustitia requirebat expiationem, misericordia veniam, venia novam vitam. Carnis ergo indutus paludamento summi regis filius prodit, ut hostia factus (nam pro divina mori natura non potest) inconcussam iustitiam placet ac reconciliet his, qui suapte innocentia sub intuitum numinis propter scelerum conscientiam venire non audebant. Id autem ideo, quia suavis et misericors est, quae virtus perinde non potuit ferre operis sui repudiationem atque iustitia impunitatem. Mixtae sunt igitur iustitia et misericordia, ut haec hostiam daret, illa vero acciperet pro universorum scelerum expiatione. Ea igitur de quo grege eligenda erat? de angelorum? At quid ad illos attinebat hominum praevaricatio? An vero de hominum grege? At illi omnes rei erant, ut quicunque ex eis ad hoc fuisset destinatus perlitare non potuisset propter vitium: agnum enim *ἄμωμον*, hoc est undique salvum, candidum ac mundum esse oportebat eum, qui hanc hostiam *τυπικῶς* promittebat. De se ergo accepit divina bonitas quod nobis donaret: filium enim suum nostra carnis imbecillitate circumdedit, ut videamus aeque liberalitatem sive misericordiam esse insuperabilem, atque sanctitatem sive iustitiam. Qui enim sese nobis

dat, quid reliquum fecit quod non dederit? quomodo divinus Paulus disseruit. Angelum si fecisset victimam aut hominem, extra se ipsum erat quod dedisset. Fuisset ergo relictum quod adhuc maius dare potuisset, nempe se ipsum; quod tamen non dedisset. Summa itaque bonitas summum beneficium largitura cum esset, pretiosissimum quod eversa arca dare potuit, nempe se ipsum, dedit, quo humanae menti, maiorum semper avidae, ne viam quidem cogitandi relinqueret, quomodo haec sive angelica sive humana hostia tanti ut pro omnibus sit satis; aut quomodo inconcusse possim creatura fidere. Filius ergo dei nobis ad confirmationem misericordiae, ad pignus veniae, ad iustitiae pretium et ad vitae normam datus est, ut nos certos de gratia dei faceret et vivendi traderet legem. Quis hanc divinae bonitatis et munificentiae liberalitatem satis vehat? Abdicari commerueramus, et ille cooptationem adornat. Iter vitae corruperamus, et ille in locum restituit. Sic ergo redemit et renovavit nos divina bonitas, ut pro misericordia grati, pro hostia expiatrice iusti simus et innocentes.

DE CHRISTO DOMINO.

IV. *Hunc dei* de deo *filium* credimus et docemus humanam naturam sic adsumsisse, ut divina non sit amissa vel in humanam transmutata. Sed utramque in eo esse vere, proprie ac naturaliter, ita ut de divina natura nihil sit imminutus quo minus vere, proprie ac naturaliter deus sit; humana vero eius natura non sic in divinam transierit, ut non vere, proprie et naturaliter homo sit, excepta propensione ad peccandum, atque ut omnino qua deus est ita deus sit cum patre et spiritu sancto, et de divinitatis dotibus ei propter humanae imbecillitatis vendicationem nihil deciderit; qua vero homo est, ita sit homo, ut quicquid ad humanae naturae veritatem et proprietatem pertinet sic habeat, ut propter divinae naturae coniunctionem, praeter peccandi ingenium, non sit ei quidquam ademtum. Hinc est ut utriusque naturae propria et agnata sic in omnibus dictis et factis reluceant, ut nullo negotio religiosa mens videat quid utrique naturae sit acceptum ferendum, quantumvis omnia unius Christi recte esse dicantur. Christus esurit, recte dicitur, quum deus sit et homo; attamen secundum divinam naturam non esurit. Christus sanat morbos et vitia, recte dicitur; attamen divinae virtutis ista sunt si proprie expendas, non humanae. Nec tamen propter naturarum discrimen sequitur personae divisio, non magis quam quum hominem dicimus intelligere et dormire. Ibi quum vis intelligendi solius animi sit, et dormiendi necessitas corporis: non tamen ob id duae personae est homo, sed una. Confit enim personae unitas etiam ex diversis naturis. Et omnino fatemur deum et hominem unum esse Christum, sicut ex anima ratione praedita et inerti corpore unus homo conflatur, quemadmodum divus Athanasius disseruit. Adsumsit autem humanam naturam in unitatem hypostaseos sive personae filii dei; non quasi homo adsumtus peculiaris persona et divinitas aeterna quoque persona peculiaris sit, sed quod persona aeterni filii dei in et ad virtutem suam hominem adsumserit. Quemadmodum sancti dei homines vere et clare demonstrarunt.

v. Eam vero naturam credimus, *spiritu sancto virginem fecundante, conceptam*, eiusdemque perpetuo servata virginitate in lucem effusam, ut mundo nasceretur liberator et curator animarum de femina virgine, qui ab aeterno natus est dominus ac deus de patre coelibe; ut hostia sancta et immaculata fieret cui omnes arae pecoribus onustae nequicquam fumabant; quo beluinorum sacrificiorum homines poeniteret et ad mentis oblationem converterentur, quum deum sibi viderent filii sui victimam paravisse et obtulisse.

vi. *Passum* credimus *Christum, cruci suffixum sub praeside Pilato*; sed quod passionis acerbitatem homo sensit, non etiam deus, qui ut est ἀόρατος, hoc est invisibilis, sic est et ἀνάλγητος, hoc est nulli passioni aut affectioni obnoxius. Doloris vox est: Cur me deus deseruisti; illaesae divinitatis autem: Ignosce eis! nesciunt enim quid faciunt. Passus est autem pro expiandis sceleribus nostris contemtissimo supplicii genere, ut nihil faceret reliquum humiliationi quod non experiretur et impleret.

vii. *Mortuus et sepultus* nisi esset, quis verum hominem esse crederet? Hinc est ut patres apostolici in symbolo adiecerint: *Descendit ad inferos.* Qua locutione usi sunt vice periphraseos, qua et veram mortem significarent. Inferis enim connumerari ex humanis abiisse est; et virtutem redemtionis eius ad inferos quoque pervenisse. Quod divus Petrus innuit quum dicit: mortuis, hoc est eis inferis qui exemplo Noachi a condito mundo crediderunt dei monitis, quum impii contemnerent, praedicatum esse evangelium.

viii. Contra vero ni et redivivus resurrexisset, quis verum deum crederet eum qui extinctus esset, ita ut vitae eius ac virtutis nihil superesset? Credimus ergo, verum dei filium pro humana natura vere mortuum esse, quo certi reddamur de criminum nostrorum expiatione. Credimus et vere *a mortuis resurrexisse*, ut certi simus de aeterna vita. Quicquid enim Christus est, noster est; quicquid operatur, nostrum est. Sic enim deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum dederit ad vivificandum nos. Quum ergo resurrexit: nobis resurrexit, nostram resurrectionem orsus. Unde et Paulus illum dormientium hoc est mortuorum primitias vocat. Ille enim quum mortuus vivit, ostendit et nos quum morimur vivere: hoc enim Hebraeis *resurgere* significat: permanere, consistere ac perdurare. Hinc est ut Paulus ad utramque partem sic arguat: Si Christus resurrexit, hoc est quum mortuus crederetur vixit, et corpus redassumsit: iam est mortuorum resurrectio. En tibi, humanissime Rex! argumenti robur in hoc consistere, quod Christus noster est et quod omnis eius actio nostra est. Nam alias non magis sequeretur: Christus resurrexit; ergo et nos resurgimus; quam si quis sic colligeret: Rex habet potestatem a supplicio liberandi eum quem praetor damnavit; ergo quisque habet hanc potestatem. Negatur autem sic: Si Christus non resurrexit: ergo neque nos resurgimus. Nam alias Christus sua virtute vivere ac resurgere potest: id quod nostra nos non possumus. Si vero neque Christus resurrexisset, si nostra non esset resurrectio: iam constat, ipsum virtutem suae resur-

rectionis nostram facere et publicam. Huc spectarunt sancti homines, quum dixerunt Christi corpus nos alere ad resurrectionem; quo nihil aliud voluerunt quam ostendere, quum Christus, qui totus noster est, resurrexerit, nos per hoc certos reddi, quod et nos, quum corpore sumus mortui, animis vivamus, quodque aliquando cum eodem corpore sumus revicturi.

IX. Porro quod idem ille noster Christus *coelos subiit* et *ad patris dexteram consedit*, quod incunctanter credimus, promittit, et nos qui protinus ut morimur illuc subvolamus, aliquando esse etiam cum corpore isthic aeternis fruituros deliciis. Ut autem ille isthic sedet usque dum venturus est ad publicum orbis universi iudicium, sic et nostri beatorumque omnium animi apud illum sunt sine corpore usque ad praedictum iudicium; sub cuius exordium omnes redinduturi sumus positum corporis vestimentum, et cum eo sive ad perpetuas sponsi nostri nuptias sive ad perpetuas perduellis diaboli aerumnas profecturi. Hic duo tibi mitissime Rex ut sentio exponam:

PURGATORIUM

Unum, quod cum Christus inferorum cruciatus non sensit, quomodo divus Petrus docet Act. 2: 27, sed morte perfunctus coelos conscendit, nos quoque posteaquam solvimur nexu corporis, eo citra cunctationem, moram aut novum cruciatum, si modo fidem sinceram habuerimus, ituros esse; quodque cupiditatem suam potius quam animos fidelium pascere ausi sunt, qui purgatorii ignis miserias intentarunt, alioqui satis miseris hominibus. Primum enim Christum ipsum prorsus evacuant et explodunt. Si enim Christus pro peccatis nostris mortuus est, quomodo ipse et spiritu eius imbuti docuerunt Apostoli; quomodo et religionis ratio fateri cogit, qua constat gratia et bonitate dei beari homines: qui posset ferri ut nos ad satis faciendum cogeremur? Si enim a Christo abhorrent qui operibus fidunt iudicio Pauli: quanto magis abhorrent et annihilant Christum qui proprio cruciatu expiari crimina oportere docent? Nam si bene facta mereri beatitudinem nequeunt, et eam carnificina mereatur: iam numinis bonitas in dubium vocaretur, quasi afflictionibus et aerumnis gauderet; abhorreret autem a mansuetudine et benignitate. Secundo si Christus non tollit mulctam et poenam peccatis debitam: cuius nam causa factus est homo? cuiusque causa passus est? Nam quod Theologorum quidam sic distinguunt, a culpa nos redemtos esse, non etiam a poena: frivolum imo contumeliosum in deum commentum est. Nam ne humanus quidem iudex poenam infligit ubi culpa abest; protinus ergo ut a deo culpa remittitur poena condonata est. Tertio, quum Christus ipse docuerit, eos qui credunt vitam aeternam habere et, qui fidunt eo qui Christum nobis misit, in iudicium non venire, sed iam transisse a morte in vitam: fit manifestum, ut haec mora cruciatus quam animis hinc migrantibus dant Papistae commentitia sit et ficta.

PRAESENTIA CORPORIS CHRISTI IN COENA [1]

Alterum vero quod me hic expositurum recepi hoc est: in coena Domini naturale ac substantiale istud corpus Christi, quo et hic passus est et nunc in coelis ad dexteram patris sedet, non naturaliter atque per essentiam edi, sed spiritualiter tantum; atque non modo frivolum et stultum, sed etiam impium et contumeliosum esse quod Papistae docuerunt, ea mensura, ea prorsus proprietate ac modo, quibus natus, passus vitaque functus est, edi corpus Christi a nobis. Primum enim hoc constat, Christum verum hominem, qui ex corpore et animo constat, quales et nos sumus, excepta semper ad peccandum propensione, adsumsisse. Ex quo colligitur omnes dotes ac modos, qui ad corporis ingenium pertinent, eius corpori verissime adesse. Nam quod propter nos adsumsit, de nostro est, ut totus noster sit, ut antea diximus. Ex quo duo quaedam sequuntur irrefragabilia: unum quod hi modi, qui adsunt nostro corpori, Christi quoque corpori adsunt; alterum quod quicquid in Christi corpore est, quod ad corporis modum pertinet, nostrorum etiam sit corporum. Nam si quicquam, quod ad corporis modum et proprietatem attinet, in illius esset corpore quod nostro deesset: iam videretur istud non nostra causa adsumsisse. Cuius ergo? cum corporeorum nihil sit praeter hominem aeternae beatitudinis capax. Hinc est quod prius attigimus, quod Paulus et nostram resurrectionem ex Christi, et Christi ex nostra demonstrat. Quum enim dicit: Si mortui non resurgunt, neque Christus resurrexit: quomodo firma potest esse argumentatio? Quum enim Christus deus sit et homo: quis non protinus responsurus esset Paulo: Παραλογίζῃ, o Theologe! Nam Christi corpus resurgere iure potest ac debet: est enim divinitati coniunctum; at nostris utpote divinitatis expertibus non eadem vis est. Sed Pauli argumentatio quum hinc robur habeat: Quicquid Christi corpus habet quod ad modum, dotes et proprietatem corporis attinet: nobis habet tanquam noster archetypus nostrumque est: iam sequitur: Christi corpus resurrexit; ergo et nostra resurgent. Nos resurgimus; ergo et Christus resurrexit. Ex his fontibus hausit Theologorum columen Augustinus, ut dixerit, Christi corpus in aliquo coeli loco esse oportere propter veri corporis modum. Et iterum: Christi corpus quod a mortuis resurrexit in uno loco esse oportet. Non est igitur Christi corpus magis in pluribus locis quam nostra corpora. Quae sententia non nostra est, sed Apostoli, sed Augustini, sed ipsius omnino religionis quae, etsi testibus destitueremur, suadet tamen Christum per omnia nobis similem esse factum. Nostra enim causa hanc imbecillitatem adsumsit, et habitu, hoc est, dotibus, modis ac proprietatibus, ut homo inventus est. Quibus, o Regum decus, tibi expositum obiter

---

1) Integrum hoc de corporis Christi in Coena praesentia et de sacramentorum virtute caput Zuinglius huic apologiae insertum noluisse videtur; ad marginem enim hanc adiecit ipse notam: „Hic non prosequeris describendo, sed aliud quod *par sit* in locum huius pones." Est autem id ipsum quod Bullingerus Appendicis loco una cum formula Eucharistica huic Apologiae apposuit. Quae quidem animadversio I. I. *Breitingero* debetur.

puto, quam iniquis modis nos proscindant velut haereticos propter eucharistiae sacramentum; quum ne verbum quidem unquam docuerimus quod non ex divinis aut literis aut Theologis hauserimus. Sed ad propositum redeo. Quum ex ista argumentatione quae Scriptura Divina nititur constet, Christi corpus naturaliter, proprie et vere in uno loco esse oportere, nisi et nostra multis in locis esse stulte audeamus ac impie adseverare: iam extortum est adversariis, Christi corpus sedere secundum essentiam, per se ipsum, naturaliter ac vere ad dexteram patris; et hoc modo sic non est in coena, ut qui contrarium docent Christum coelo solioque patrio detrahant. Nam docti omnes pro explosa et impia damnarunt hanc sententiam, qua quidam ausi fuerunt adseverare, Christi corpus perinde esse ubique atque divinitatem. Ubique enim esse nequit, nisi quod natura infinitum est; quod infinitum est, simul est aeternum. Christi humanitas non est aeterna; ergo neque infinita. Si non est infinita, ergo nequit non esse finita. Si finita est, iam non est ubique. Sed missis istis, quae tamen in hoc adduximus ut philosophicae ratiocinationi non deessemus, si quando in eam incideres, o Rex, ad impenetrabilia scripturae testimonia accedamus.

Satis manifestum fecimus antea quod, quaecunque in libris sacris de Christo habentur, sic sunt de integro ac solido Christo dicta, ut etiamsi facile deprehendatur, ad quam naturam referendum sit quod dicitur, non tamen scindatur Christus in duas personas, quantumvis utrique naturae sua referantur. Duas enim naturas habere non secat personae unitatem, ut patet in homine. Et rursus, etiamsi ea quae divinitatis sunt humanitati tribuantur, ac contra quae humanitatis divinitati: non tamen confundi naturas, quasi divinitas degeneraverit ac infirmata sit in humanitatem, aut humanitas in divinitatem mutata sit. Id quod testimoniis dilucidius fiet.

Peperit filium suum primogenitum et reclinavit eum in praesepium. Christum qui deus et homo est de virgine natum esse, nemo negat propter personae unitatem. Unde et deiparam *θεοτόκον* appellari iusto vocabulo et iudicamus et probamus. Attamen divinam eius naturam nemo quam pater genuit, sicut in homine quoque corpus parit mater, animum solus deus; at nihilo minus dicitur homo a parentibus generari. Porro quod in praesepium depositus est qui coelos ac inferos implet ac tenet, eodem modo ad humanitatem pertinet. Verumtamen quum ista toti Christo tribuuntur, nasci ac poni, nihil incommodi oritur. Id autem propter duarum naturarum in unam personam coniunctionem et unionem.

Ascendit ad coelos. Aeque ad humanitatem principaliter refertur, quum tamen sine divinitate non sit lata humanitas; sed illa ferebat, haec ferebatur. Haec ut iam dictum est, perpetuo circumscripta manet: nam alioqui desineret esse vera humanitas; illa vero perpetuo infinita et incircumscripta est, unde non transit a loco in locum, sed eadem indidem perpetuo manet.

Ecce ego vobiscum sum usque ad finem seculi. Principaliter ad divinitatem refertur: humanitas enim coelo illata est.

Iterum relinquo mundum et vado ad patrem. Principaliter,

imo naturaliter de humanitate accipere cogit ipsa veritas. Deus enim est qui sic loquitur; verum igitur esse oportet quod dicit. Relinquit ergo mundum quae in eo natura? Non divina: ea enim loco non movetur quae loco non continetur. Ergo humana relinquit. Quae quum mundum reliquerit, intellige o Rex, naturali, essentiali localique praesentia: non est ergo hic. Non editur itaque a nobis naturaliter, aut per essentiam corpus Christi; quanto magis non mensuraliter, sed solum sacramentaliter et spiritualiter.

Ego posthac non ero in mundo: tantopere enim valet, καὶ οὐκ ἔτι εἰμὶ ἐν τῷ κόσμῳ, quae vox omnem prorsus nebulam discutit, ita ut secundum humanitatem naturaliter ac per essentialem corporeamque praesentiam in mundo expectandus non sit, sed solum spiritualiter et sacramentaliter.

O viri Galilaei, quid statis sursum in coelum spectantes? Hic Iesus qui adsumtus est a vobis in coelum, sic veniet, quemadmodum vidistis eum ire in coelum. Hoc loco aperte habemus eum a discipulis adsumtum in coelum; abiit ergo et non est hic. At quomodo abiit? corporaliter, naturaliter et quomodo per humanitatis essentiam vere est. Quum ergo dicunt: *Sic veniet*, dicit corporaliter, naturaliter ac per essentiam. Verum quando sic veniet? non cum ecclesia coenam celebrat, sed quum per illum sub mundi finem iudicanda est. Irreligiosa est igitur ea sententia, quae corporaliter, naturaliter, essentialiter ac etiam mensuraliter adserit Christi corpus in coena edi, quia est a vero aliena; quicquid autem est a vero alienum, impium est ac irreligiosum. Haec pauca et brevia satis, Tuae prudentiae, quae omnia ex uno pro sua promtitudine potest expendere, arbitror fore, ad videndum ore domini huc nos cogi, ut consideremus quomodo Christi corpus sit in coena. Pluribus alias de eadem re librisque ad diversos plurimis egimus, imo diuturna bella gessimus Oecolampadius et ego, quae omnia repetere fastidium sit. Sed veritas victoriam aufert ac perrumpit quotidie magis ac magis. Nunc quid sit spiritualiter et sacramentaliter edere cum exposuerimus, hinc digrediemur.

Spiritualiter edere corpus Christi nihil est aliud quam spiritu ac mente niti misericordia et bonitate dei per Christum; hoc est: inconcussa fide certum esse deum nobis peccatorum veniam et aeternae beatitudinis gaudium donaturum esse propter filium suum, qui noster totus factus, et pro nobis oblatus, divinam iustitiam nobis reconciliavit. Quid enim negare poterit qui unigenitum filium suum dedit?

Sacramentaliter autem edere corpus Christi, quum proprie volumus loqui, est adiuncto sacramento mente ac spiritu corpus Christi edere. Volo autem Tuae Celsitudini omnia sub oculos ponere, o Rex. Spiritualiter edis corpus Christi, non tamen sacramentaliter, quoties mentem tuam sic anxiam: Quomodo salvus fies? quotidie peccas, quum tamen quotidie ad mortem properes. Post hanc vitam alia est: nam quomodo hic animus, quo hic praediti sumus, qui de futuris sollicitus est, extingueretur? quomodo tanta lux et scientia in tenebras et oblivionem converteretur? Aeterna igitur quum sit animorum vita, qualisnam meo animulo usu ventura est? felix an misera? Explorabo et inquiram vitam,

meam utra digna sit, felice an misera. Hic te, quum tantum exercitum eorum videbis quae ex affectibus et cupiditate homines facere solemus, horror invadet, ut quod ad tuam iustitiam ac innocentiam attinet, tuo te iudicio aeterna felicitate indignum pronunties, et prorsus de illa desperes. Quum inquam sic anxiam mentem tuam sic solaberis: Deus bonus est; qui bonus est iustum et misericordem aut aequum esse oportet: nam iustitia sine aequitate vel misericordia summa iniuria est; misericordia sine iustitia negligentia, lascivia et omnis disciplinae solutio. Quum ergo iustus sit deus: necesse est ut eius iustitiae pro meis sceleribus satisfiat. Quum sit misericors, necesse est ut de venia non desperem. Istorum utriusque pignus habeo infallibile, unigenitum eius filium dominum nostrum Iesum Christum, quem ex misericordia nobis donavit ut noster esset. Ille vero sese patri pro nobis obtulit quo aeternam eius iustitiam placaret. Ut sic certi simus de misericordia, et de criminum expiatione illius iustitiae facta, non per alium quam filium eius proprium, quem ex amore nobis donavit. Quum hic metu desperationis aestuantem animum hac fiducia erigis: Cur moeres anime mi? Deus qui solus beatitudine ditat, tuus est et tu illius es. Nam quum eius esses opus et factura; attamen scelere periisses: filium suum ad te misit tuique similem, extra peccatum, fecit, quo tanti fratris ac socii iure ac privilegio fretus postulare etiam aeternam salutem audeas tuo iam velut iure. Quis me daemon terreat ut eum metuam, quum is mihi opitulator adsit? quis mihi adimet quod deus ipse donavit, et pignus fideiussoremque filium suum dedit? Sic inquam quum Christo te solaris, iam spiritualiter corpus eius edis, hoc est, hominis propter te adsumti fiducia imperterritus in deo stas contra omnia desperationis tela.

Verum quum ad coenam domini cum hac spirituali manducatione venis et domino gratias agis pro tanto beneficio, pro animi tui liberatione, qua liberatus es a desperationis pernicie, et pro pignore quo certus es de aeterna beatitudine; ac simul cum fratribus panem et vinum, quae iam *symbolicum* Christi corpus sunt, participas, iam proprie *sacramentaliter* edis, cum scilicet intus idem agis quod foris operaris, quum mens reficitur hac fide quam symbolis testaris.

At sacramentaliter improprie dicuntur edere, qui visibile sacramentum sive symbolum publice quidem comedunt, sed domi fidem non habent. Hi ergo iudicium, hoc est, vindictam dei comedendo in se provocant, eo quod corpus Christi, hoc est, totum incarnationis passionisque mysterium, atque adeo ecclesiam ipsam Christi non habent pretio tanto quo a piis iure habetur. Quum enim probare se homo priusquam conviva fiat debeat, hoc est se ipsum explorare et interrogare, quum, an Christum pro dei filio suoque liberatore ac servatore sic et agnoscat et receperit, ut eo nitatur tanquam infallibili auctore ac datore salutis; tum, an gaudeat se illius ecclesiae esse membrum cuius caput Christus est; et iam perfidus sese, tanquam huiusmodi fidem habeat, ecclesiae in coena coniungit: an non ille reus est corporis et sanguinis domini? non quae naturaliter aut corporaliter ederit, sed quae spiritualiter se edere falso testatus sit ecclesiae; spiritualiter nunquam gustata. Isti ergo sacramentaliter tantum edere dicuntur, qui symbolis gratiarum

actionis utuntur quidem in coena, sed fidem non habent. Hoc gravius damnati quam reliqui perfidorum, quod hi coenam Christi non agnoscunt, isti vero agnoscere simulant: bis enim peccat qui perfidus coenam celebrat, perfidia et audacia, quum perfidi sola infidelitate velut stulti pereant.

Porro quid sacramenta sive symbola in coena faciant aut possint, acriter certatum est aliquamdiu inter nos, istis contendentibus sacramenta fidem dare, corpus Christi naturale adferre, et ut praesens edatur efficere; nobis diversum quid non sine auctore sentientibus. Primum quod fidem, quae in deum fiducia est, nemo nisi spiritus sanctus dat, nulla res externa. Quamvis faciant fidem sacramenta, sed historicam: omnes enim panegyres, tropaea, imo monimenta et statuae fidem historicam faciunt, hoc est, monent olim aut quiddam esse factum cuius memoria refricetur, sicut est panegyris paschatis apud Hebraeos et σεισάχθεια apud Athenienses, aut victoriam isthic loci partam esse, sicut est lapis adiutorii. Hoc ergo modo coena dominica fidem facit, hoc est, certo significat, Christum esse natum et passum. Sed quibus hoc significat? Fidelibus ac perfidis ex aequo. Universis enim significat quod ad sacramenti virtutem pertinet: Christum esse passum, sive recipiant sive minus; at pro *nobis* esse passum, id vero piis ac fidelibus tantum significat. Nemo enim pro nobis esse passum Christum scit aut credit, nisi quem spiritus intus docuerit agnoscere mysterium divinae bonitatis: is enim solus Christum recipit. Fiduciam ergo in deum nihil nisi spiritus dat. Nemo enim pervenit ad Christum nisi pater eum traxerit. Deinde Paulus quoque omne hoc dissidium uno verbo tollit cum dicit: Probet autem se ipsum homo, ac demum de pane isto edat et calice bibat! Quum ergo antequam accedat fidem suam explorare debeat homo, iam nequit fieri ut in coena fides detur: adesse enim oportet priusquam adeas. Secundo restitimus adversariorum errori, quum dixerunt, symbolis istis pane et vino adferri naturale corpus Christi, quoniam verba haec: *Hoc est corpus meum*, istud possint et efficiant. Nam obstat, quum quod supra diximus de verbis Christi, quae corpus eius negant posthac in mundo fore; tum quod si verba istud possent, iam adferrent passibile corpus Christi. Quum enim haec verba diceret: mortale adhuc habebat corpus, unde et mortale comedissent Apostoli: non enim duo habebat corpora, quorum unum esset immortale et insensibile, alterum vero mortale. Si ergo mortale edissent Apostoli: nos quale nunc ederemus? nimirum et ipsi mortale. At nunc est immortale et incorruptibile quod prius mortale fuerat. Si ergo nos nunc mortale ederemus, iam iterum haberet mortale simul ac immortale corpus. Quod quum fieri nequeat (non enim potest esse mortale et immortale simul): sequeretur ut duo haberet corpora, unum mortale quod ederemus cum apostolis; alterum autem immortale, quod ad dexteram sedet non transiturum inde. Nisi vellemus dicere Apostolos quidem mortale corpus edisse, nos autem immortale; quod quam absurdum sit, nemo non videt. Postremo restitimus adversariis, quum praesens Christi naturale substantialeque corpus edi adseruerunt, quod istud religio quoque vetat. Petrus quum virtutem divinam in venatione piscium inusitata Christo

adesse sentiret, dicebat: Exi a me, domine! ego enim homo peccator sum: stupor enim invaserat eum. Et nos adpetitum haberemus edendi ipsum naturaliter, velut anthropophagi? Quasi vero liberos suos quisquam sic amet, ut devorare aut mandere cupiat? Aut quasi non sint inter omnes homines immanissimi iudicati qui humana carne vescuntur? Centurio: Non sum dignus, inquit, ut intres in aedes meas etc. At de illo Christus ipse testatus est, similem fidem non compertam esse in universo Israele. Quanto ergo fides est maior ac sanctior, tanto magis contenta est spirituali manducatione; et quanto ista melius saturat, tanto magis abhorret religiosa mens a corporali manducatione. Officiosae mulieres colere lavando et ungendo Christi corpus solebant, non edendo. Nobilis senator Iosephus et pius simulator Nicodemus condimentis, linteis sepulchroque muniebant, non edebant naturaliter.

QUAE SACRAMENTORUM VIRTUS.

Haec ergo incommoda, o Rex, plane docent, neque Eucharistiae neque Baptismo specie pietatis attribui debere, quibus religio et veritas periclitantur. Quid autem? anne sacramenta nullam habent virtutem?

Virtus prima: Res sanctae et venerandae sunt, utpote a summo sacerdote Christo institutae et susceptae. Ipse enim Baptismum non tantum instituit, sed et ipse quoque recepit; ipse non tantum Eucharistiam celebrare iussit, sed primus celebravit.

Virtus secunda: Testimonium rei gestae praebent: universae enim leges, mores ac instituta, auctores suos initiaque praedicant. Baptismus ergo quum Christi mortem ac resurrectionem significando praedicat, eas vere gestas esse oportet.

Tertia virtus: Vice rerum sunt quas significant, unde et nomina earum sortiuntur. Transitus aut praeteritio, qua deus filiis Israel pepercit, ante oculos poni non potest; sed agnus eius rei symbolum vice illius proponitur. Sic et corpus Christi omniaque in illo gesta quum oculis subiici nequeant: panis et vinum eius loco edenda proponuntur.

Quarta: Res arduas significant. Ascendit autem cuiusque signi pretium cum aestimatione rei cuius est signum ut, si res sit magna, pretiosa et amplifica: iam signum eius rei eo maius reputetur. Annulus reginae uxoris tuae, quo eam despondit tua maiestas, illi non auri pretio aestimatur, sed pretium omne superat, quantumvis si substantiam reputes aurum sit; quia symbolum est mariti regis. Unde et omnium annulorum ei rex etiam est, ut si quando mundum suum nominatim vocet ac censeat, indubie dicat: Hic est rex meus; hoc est: hic est annulus mariti mei regis quo me sibi despondit; hoc est symbolum indisiunctae societatis ac fidei. Sic panis et vinum amicitiae illius, quo deus humano generi per filium suum reconciliatus est, symbola sunt, quae non aestimamus pro materiae pretio, sed pro significatae rei magnitudine, ut iam non sit vulgaris panis, sed sacer; non panis tantum nomen habeat, sed corporis Christi quoque; imo sit corpus Christi, sed appellatione et significatione, quod recentiores vocant *sacramentaliter*.

Quinta virtus est analogia symbolorum et rei significatae. Habet

autem Eucharistia duplicem analogiam: unam quae ad Christum pertinet. Ut enim panis humanam vitam sustinet ac fulcit, ut vinum hominem exhilarat: sic destitutam omni spe mentem solus Christus restituit, sustinet et laetificat. Quis enim ultra desperatione contabescat qui dei filium videt suum esse factum? quum animo illum tenet veluti thesaurum qui eripi non potest, quo vero impetrare omnia apud patrem potest. Alteram habet analogiam quae ad nos pertinet. Ut enim panis ex granis multis fit, vinum vero ex multis acinis confluit: sic ecclesiae corpus ex infinitis membris in unum corpus, una in Christum fiducia, quae ex uno spiritu provenit, coagmentatur et erigitur, ut sit verum templum et corpus inhabitantis spiritus sancti.

Sexta: Auxilium opemque adferunt fidei. Et hoc prae omnibus facit Eucharistia. Scis, o Rex, fidem nostram semper exerceri ac tentari: cribrat enim cum Apostolis nos satanas sicut triticum. At qua nos arte petit? Domestica proditione: per corpus enim velut per veterem ac ruinosam muri partem, admotis ad sensus nostros cupiditatum scalis, obruere satagit. Quum ergo sensus alio vocantur quam ut aurem illi praebeant, iam minus procedit eius consilium. Nunc autem in sacramentis non modo negantur sensus Satanae suadelis, sed etiam fidei mancipantur, ut iam velut ancillae nihil aliud agant quam quod agit iubetque hera fides; adiuvant ergo fidem. Sed palam loquar. In Eucharistia quatuor potentissimi, imo universi sensus a carnis cupiditatibus velut vindicantur ac redimuntur et in obsequium fidei trahuntur. Auditus quum iam non symphonias chordarum diversarumque vocum harmoniam, sed coelestem vocem audit: Sic deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum pro vita illius dederit. Adsumus ergo fratres, ut pro ea in nos liberalitate gratias agamus. Ipsius enim filii iussu merito istud facimus, qui iamiam moriturus hanc gratiarum actionem instituit, ut perpetuum amoris erga nos sui mnemosynum ac pignus relinqueret. Accepit autem panem, gratias egit, fregit deditque discipulis haec sacra simul effatus de sacratissimo ore verba: Hoc est corpus meum. Aeque et calicem accepit etc. Quum ista inquam auditus accipit: an non totus consternatur et admirabundus in hoc unum quod praedicatur intentus est? quum deum audit, quum amorem illius, quum filium pro nobis neci traditum. At quum huc intentus est: an non idem facit quod fides? Fides enim est quae deo per Christum nititur. Auditus ergo quum ad idem spectat: iam fidei ancillatur, iam fidem non molestat suis frivolis istis cogitationibus ac studiis. Visus, quum panem videt ac calicem, quae vice Christi illius bonitatem ingeniumque significent: an non et ille fidei obsequitur? Christum enim velut ante oculos conspicit quem mens, eius inflammata pulchritudine, deperit. Tactus panem in manus sumit, qui iam non panis, sed Christus est significatione. Gustus olfactusque et ipsi huc advocantur, ut odorentur quam suavis sit dominus, quamque beatus sit qui in illo fidit. Ut enim illi cibo gaudent et expergefiunt, sic mens hunc coelestis spei suavem nacta gustum gestit et exultat. Adiuvant ergo fidei contemplationem sacramenta, concordant cum mentis studiis, quod alias citra sacramentorum usum non tantopere tantoque fit consensu. In Baptismo visus, auditus tactus-

que advocantur ad fidei opus. Fides enim, sive ecclesiae sive eius qui baptizatur, agnoscit Christum pro ecclesia sua mortem tulisse, resurrexisse ac triumphasse; idem auditur in baptismo, videtur ac tangitur. Sunt ergo sacramenta velut frena quibus sensus, ad cupita sua excursuri, revocantur ac retrahuntur ut menti fideique obsecundent.

Septima sacramentorum vis est, quod vice iurisiurandi sunt. Nam et sacramentum Latinis pro iure iurando usurpatur. Qui enim unis eisdemque sacramentis utuntur, una eademque gens ac sancta quaedam coniuratio fiunt, in unum corpus inque populum unum coeunt, quem qui prodit periurus est. Populus ergo Christi quum eius corpus sacramentaliter edendo in unum corpus coniungitur, iam qui perfidus attamen sese huic societati audet insinuare, corpus Christi prodit, tam in capite quam in membris, quia non diiudicat, hoc est, non tanti aestimat corpus domini, quum quod pro nobis ille tradidit, tum quod illius morte liberatum est. Unum enim corpus cum ipso sumus.

Cogimur ergo, velimus nolimus, agnoscere, haec verba: Hoc est corpus meum etc. non naturaliter ac pro verborum proprio sensu esse intelligenda, sed symbolice, sacramentaliter, denominative, aut *μετωνυμικῶς*, hoc modo: Hoc est corpus meum, id est, hoc est sacramentum corporis mei, sive hoc est corpus meum sacramentale sive mysticum; id est eius, quod vere adsumsi mortique obieci, symbolum, sacramentale et vicarium. Sed iam tempus est, ne brevitatis oblitus maiestatem tuam offendam, ad alia transire. Quae vero iam diximus adeo firma sunt, o fortissime Rex, ut nemo hactenus, quantumvis multi refellere tentaverint, ne movere quidem potuerit. Quapropter ne movearis, si, qui lingua promtiores sunt quam solida scriptura, sententiam istam irreligiosam esse clamitent. Verbis hoc audacibus quidem sed inanibus gloriantur, ad rem ubi ventum erit leberide sunt inaniores.

ECCLESIA.

Credimus et unam sanctam esse catholicam, hoc est: universalem *ecclesiam;* eam autem esse aut visibilem aut invisibilem. Invisibilis est, ut Paulus docet, quae coelo descendit, hoc est, quae spiritu sancto illustrante deum cognoscit et amplectitur. De ista ecclesia sunt quotquot per universum orbem credunt. Vocatur autem invisibilis, non quasi qui credunt sint invisibiles, sed quod humanis oculis non patet quinam credant: sunt enim fideles soli deo et sibi perspecti. Visibilis autem ecclesia est non pontifex Romanus cum reliquis cidarin gestantibus, sed quotquot per universum orbem Christo nomen dederunt. Ex his sunt qui appellantur Christiani etiamsi falso, quum intus fidem non habeant. Sunt ergo in ecclesia visibili qui electae illius ac invisibilis membra non sunt. Quidam enim iudicium sibi manducant et bibunt in coena, qui tamen fratres omnes latent. Ea igitur ecclesia quae visibilis est, quum habeat contumaces ac perduelles multos, qui ut fidem non habent ita nullius faciunt, si centies extra ecclesiam eiiciantur: opus habet magistratu, sive is sit princeps sive optimates, qui impudenter peccantes coerceat. Nec enim frustra gladium gestat. Quum ergo in ecclesia sint pastores, qui, ut est apud Ieremiam videre, pro princi-

pibus quoque capiuntur: constat ecclesiam sine magistratu mancam esse ac mutilam. Tantum abest piissime Rex, ut magistratum declinemus aut tollendum esse censeamus, sicut quidam nobis imputant, ut etiam doceamus eum necessarium esse ad perfectionem ecclesiastici corporis. Verum ut de illo doceamus brevibus accipe!

MAGISTRATUS.

Agnoscunt Graeci homines haec tria magistratus genera cum tribus degeneribus vitiis: monarchiam, quam Latini regnum vocant, ubi unus ac solus praeest rerum summae, duce pietate et aequitate. Huic contrarium ac degener genus est tyrannis, quam Latini improprio vocabulo vim aut violentiam vocant, imo cum proprium ipsi non habeant: fere tyrannide, a Graecis mutuo accepta voce, utuntur. Ea vero est, quum contemta pietate, aequitate vero conculcata, vi geruntur omnia, et qui praeest licere sibi permittit quicquid libet. Aristocratiam deinde agnoscunt, quam Latini optimatum potentiam vocant, ubi optimi quique, aequitatis et pietatis observantes in populo, rebus praesunt. Quae tamen ubi degenerat in Oligarchiam transit, quam Latini recte paucorum potentiam vocant; ubi inter optimos surgunt et crescunt pauci, non publicae sed privatae rei amantes, qui rempublicam opprimunt ac suam faciunt. Agnoscunt postremo democratiam, quam Latini rem publicam vertunt quidem, sed latiore vocabulo quam sit democratia; ubi scilicet res, hoc est imperium, penes populum publicum sive universum est, ut quum omnes magistratus, honores ac functiones in totius populi sunt potestate. Ea cum degenerat, vocant Graeci *σύςρεμμα ἢ σύςασιν*, hoc est seditionem, conspirationem ac tumultum; ubi se nemo patitur in ordinem cogi, sed pro publica potestate, quam sibi quisque de integro vindicat, eo quod totius populi pars sit ac membrum, audaciam cupiditatemque suam quisque sequitur. Unde liberae conspirationes et factiones; ex quibus caedes, direptiones, iniuriae ceteraque perduellionis ac seditionum mala. Ista Graecorum de magistratu discrimina sic et agnoscimus et corrigimus: Rex si imperat aut princeps, eum observandum esse colendumque docemus, ex Christi praecepto: Date Caesari sua, et sua deo! Per Caesarem enim intelligimus quemque magistratum, cui imperium est vel hereditario vel electionis iure consuetudineque vel permissum vel traditum. Quod si rex aut princeps tyrannus fit: iam audaciam corrigimus et obiurgamus opportune et importune. Sic enim ait dominus ad Ieremiam: Ecce ego constitui te super gentes et regna etc. Si monitorem audit: lucrifecimus toti regno patriaeque patrem; sin contumacius vim facit, docemus eo usque impio quoque parendum esse, donec illum dominus aut magistratu imperioque amoveat, aut consilium suppeditet, quo ipsum functione exuere et in ordinem compellere possint quibus ea provincia incumbit. Eodem modo intenti sumus et vigilamus, si aut aristocratia in oligarchiam aut democratia in *σύςρεμμα* degenerare incipiat. Habemus autem exempla scripturae, quibus discimus quae sic docemus et urgemus: Saulum tulit Samuel, donec regno cum vita exueret dominus. David ad correptionem Nathani resipuit et in regno multa cum tentatione mansit. Ahabus cum uxore

vita privatus est, quod ab impietate recedere nollet Helia castigante. Ioannes intrepide obiurgavit Herodem, quum incestus eum nihil puderet. Sed longum esset omnia scripturae exempla producere. Docti et pii cognoscunt, quid quibus ex fontibus dicamus. Summa: In ecclesia Christi aeque necessarius est magistratus atque prophetia; utcunque illa sit prior. Nam sicut homo non potest constare nisi ex animo et corpore, quantumvis corpus sit humilior pars atque abiectior: sic et ecclesia sine magistratu constare non potest, utcunque magistratus res crassiores et a spiritu alieniores curet ac disponat. Pro magistratu ergo orare ad dominum quum duo praecipua religionis nostrae lumina Ieremias et Paulus iubeant, ut vitam deo dignam liceat ducere: quantô magis debent omnes, qui in quocunque regno aut populo sunt, omnia et ferre et facere ut Christiana tranquillitas custodiatur? Hinc tributa docemus, vectigales, reditus, decimas, deposita, credita promissaque omnia cuiuscunque generis solvi debere, et in hisce rebus omnino legibus publicis parendum esse.

REMISSIO PECCATORUM.

XI. *Peccatorum remissionem* credimus, per fidem homini certe contingere, quoties ad deum per Christum deprecetur. Nam quum Christus Petro dixerit septuagies septies, hoc est, infinities ignoscendum esse: iam fieri nequit quin et ipse semper condonet admissa. Per fidem autem diximus remitti peccata, quo nihil aliud volumus quam dicere, solam fidem certum reddere hominem de remissis sceleribus. Ut enim sexcenties pontifex etiam Romanus dicat: Condonata sunt tibi delicta, nunquam tamen quieta fit mens ac certa de reconciliatione numinis, nisi cum ipsa apud se videt ac credit citra omnem dubitationem, imo sentit, se absolutam ac redemtam esse. Sicut enim fidem nemo potest nisi spiritus sanctus dare, sic etiam non remissionem peccatorum.

Confirmatio, satisfactio et expiatio criminum per solum Christum pro nobis passum impetrata est apud deum. Ipse enim est propitiatio pro peccatis nostris, et non pro nostris tantum sed pro totius mundi, ut inquit cognatus illi apostolus et evangelista. Quum ergo ille pro peccato satisfecerit: quinam fiunt quaeso participes illius satisfactionis et redemtionis? Ipsum audiamus! Qui in me credit, hoc est, qui me fidit, qui me nititur, habet vitam aeternam. At vitam aeternam nemo adipiscitur nisi cui peccata ademta sunt. Qui ergo Christo fidit, ei remittuntur peccata. Ut igitur nemo novit de quoquam an credat: sic nemo novit an alicui sint remissa peccata, nisi solus iste qui per fidei lucem et firmitatem certus est de venia, eo quod scit deum sibi ignovisse per Christum, et de ista remissione iam certus est, ut ne ambigat quidem de peccatorum gratia, quia scit quod deus nequit fallere aut mentiri. Quum ergo de sublimi dixerit: Hic est filius meus dilectus in quo placor, vel per quem in gratiam redeo: iam nequit fieri, quin quotquot deo fidant per Christum eius filium, nostrum autem dominum ac fratrem, sciant sibi gratiam scelerum esse factam. vela igitur haec omnia videntur: Ego te absolvo; et: Ego te

certum facio de condonatione peccatorum tuorum. Nam utcunque praedicant Apostoli peccatorum remissionem: attamen remissio nullis contingit nisi credentibus atque electis. Quum ergo et electio et fides aliorum hominum nos lateat, quantumvis de nostra fide et electione spiritus domini nos certos reddat: iam et hoc latet, an alii sint remissa peccata. Quomodo igitur potest homo hominem certum facere de remissis ei peccatis? Artes sunt et nugae merae quicquid in hac re Romani invenerunt Pontifices.

FIDES ET OPERA.

Sed quum in materiam fidei incidimus, volumus tuae maiestati brevem rationem reddere, quomodo nos de fide et operibus doceamus. Sunt enim qui nos iniquius traducunt, quasi vetemus bona opera. Quum tamen hac in re perinde ac in omnibus aliis nihil aliud doceamus, quam quod divina monent oracula quodque intellectus omnis suadet. Quis enim rerum tam imperitus est ut non dicat: opus ex consilio proficisci debere; aut opus sine consilio non esse opus, sed casum? Sic fides in mente humana est perinde atque consilium in rebus gerendis. Consilium nisi praecedat factum, temerarium est ac frivolum quicquid exit. Fides nisi arcem tenuerit ac omni operi imperaverit: iam quicquid moliamur et irreligiosum et irritum est. Nam et nos homines in quovis opere fidem magis spectamus quam opus. Fides si desit, operis pretium labitur. Si maiestati tuae o Rex, quispiam opus magnum faciat, at non ex fide: an non protinus dicis te gratiam illi qui fecerit non debere, quod ex animo non fecerit? Quin potius, quicquid tibi faciat aliquis absque fide, protinus sentis aliquam perfidiam latere, ut is qui opus facit absque fide, semper deprehendatur in aliqua esse perfidia, ut sui non tui commodi causa fecisse videas. Sic et in operibus nostris hic est ordo et regula. Fidem oportet esse fontem operis. Si fides adsit, iam opus ipsum gratum est deo; si desit, perfidiosum est quicquid fit, et subinde non tantum ingratum, sed etiam abominabile deo. Hinc est ut divus Paulus dixerit Rom. 14: 23. Quicquid non est ex fide, peccatum est; et ex nostris quidam παραδόξως adseruerint, omne opus nostrum esse abominationem. Qua sententia nihil aliud voluerunt quam quod iam diximus: si opus *nostrum* sit et non fidei iam sit perfidia, quam deus abominatur. Fides autem ut supra monuimus a solo dei spiritu est. Qui ergo fidem habent, in omni opere ad dei voluntatem velut ad archetypum spectant. Ex operibus ergo reiiciuntur non tantum quae contra legem dei fiunt, sed etiam ista quae sine lege dei fiunt. Lex enim est perpetua voluntas dei. Quae igitur sine lege, hoc est sine verbo et voluntate dei fiunt; non sunt ex fide. Quae non sunt ex fide, peccatum sunt; si sunt peccatum, iam aversatur illa deus. Unde adparet, ut etsi opus, quod deus praecepit, puta eleemosynam, quis faciat absque fide, opus illud deo non sit gratum. Quum enim inquirimus quisnam fons sit huius eleemosynae quae non ex fide orta est, invenimus eam ex vana gloria vel cupiditate plus recipiendi, vel aliquo alio affectu malo scaturivisse. Et eiusmodi opus quis non credat displicere deo?

Patet igitur, ea opera quae sine voluntate dei facta sunt etiam sine fide esse facta; et quum absque fide facta sunt, peccata iudicio Pauli. Et peccata quum sint, abominatur ea deus. Quicquid ergo a Romanensibus istis citra verbi divini auctoritatem ac testimonium conflatum est, quasi pium, sanctum ac deo gratum sit, qualia sunt fictae indulgentiae, purgatorii restinctio, coacta castitas, varietas ordinum ac superstitionum, quas taedium esset narrare, peccatum est et abominatio apud deum.

Porro de iis operibus, quae secundum legem dei fiunt, puta cum famelicum saturamus, nudum vestimus, captivum solamur, ardua quaestio est an illa mereantur. Quod mereantur, pro eo scripturam adducunt adversarii. Si quis cui calicem aquae frigidae propter nomen meum dederit, non frustrabitur mercede sua; at non mereri, verbum domini perinde testatur. Quum haec omnia feceritis, dicite: Servi inutiles sumus. Nam si mererentur opera nostra beatitudinem: iam non fuisset Christi morte opus ad placandum divinam iustitiam, iam non esset gratia, cum condonantur admissa: mereri enim quisque posset. De qua re Paulus irrefragabiliter in Rom. et Gal. disserit. Oportet enim verum esse illud, ad patrem neminem venire nisi per Christum. Ergo sola gratia et liberalitate dei, quam in nos per Christum abunde effudit, contingit aeterna felicitas. Quid ergo dicemus ad superiorem scripturae locum de mercede promissa pro haustu aquae frigidae et ad similes? Hoc scilicet: electionem dei liberalem esse ac gratuitam. Elegit enim nos ante mundi constitutionem, antequam nasceremur. Ergo non eligit nos deus propter opera, sed elegit ante mundi creationem; non merentur igitur opera. Quum autem operibus mercedem promittit, humano more loquitur. „Quid enim remuneraris, bone deus! inquit Augustinus, nisi tuum opus? Quum enim tu efficis in nobis et velle et perficere: quid relinquitur quod nobis vindicemus? Sed quum homines partim incitentur promissis ad opus bonum, partim tam benigni ac liberales sint, ut eis quos beneficio adfecerunt dicant: Ego istud tibi debui: tu bene meritus es, aut aliquid huiusmodi, ne se abiiciat in mendicantium numerum qui beneficium accepit (vult enim qui alium amat cavere, ne is deiecto sit animo): iam deus quoque quos amat multo magis erigit sua liberalitate, non ad contemtum suum sed ad cultum ac observantiam; et quae ipse per nos facit, nobis tribuit ac velut nostra remuneratur, quum illius sit non tantum quicquid operemur, sed etiam quicquid sumus ac vivimus. Deinde solet deus cum hominibus loqui hominum verbis atque more. Quum ergo homines iis dent qui bene sunt meriti, et quae dantur merita appellentur: iam deus sua quoque dona mercedem aut praemium appellat. Constat ergo meriti aut praemii nomen quidem haberi in divinis literis, sed loco liberalis doni. Quid enim mereatur qui per gratiam est, qui per gratiam accipit quicquid habet?

Sed simul hoc adnotandum est: a piis hominibus opera idcirco non intermitti, quod proprie loquendo non mereamur operibus; sed quanto maior est fides, tanto plura maioraque facimus opera, sicut Christus ipse testatur Io. 14: 12. Amen amen dico vobis, qui in me credit,

opera quae ego facio, ille quoque faciet, imo maiora faciet; et: Si fidem habeatis instar grani sinapis, iam si monti isti dicetis: Migra hinc et in mari sedem pone! iam parebit. Unde parum aequi nobis sunt, qui dum fidem anxie praedicamus, dicunt nos docere, nihil boni operandum esse; et veritatem ludibrio exponentes sic calumniantur: Haec pro nobis doctrina est, amici! sola fide beamur. Non ieiunabimus, non orabimus, non opem feremus egeno. Qua calumnia nihil nisi incredulitatem suam produnt. Nam si scirent, fides quale donum dei sit, quam efficax virtus quamque indefessa actio: non contemnerent quod non habent. Fiducia enim illa, qua homo cunctis animi viribus numine nititur, nihil nisi divinum cogitat et molitur, imo deo placita non moliri nequit. Fides enim cum spiritus divini sit adflatus: quomodo potest quiescere aut in otio desidere, quum spiritus ille iugis sit actio et operatio? Ubicunque ergo vera fides est: ibi et opus est, non minus quam ubi ignis isthic et calor est. Ubi vero fides non est: iam opus non est opus, sed inanis simulatio operis. Ex quibus colligitur, eos, qui operibus nostris mercedem adeo importune postulant quique ab operando opus dei idcirco cessaturos se dicunt, si opus nulla merces maneat, servili animo praeditos esse: servi enim pro pretio tantum operantur, segnes etiam. Qui vero fidem habent assidui sunt in opere dei, perinde ac filius familias. Hic non meritus est operibus ut sit heres patrimonii, neque in hoc operatur et laborat ut heres fiat; sed quum nasceretur: heres erat patris bonorum nativitate, non merito. Et quum assiduus est operi, non postulat mercedem: scit enim omnia sua esse. Sic filii dei qui scilicet fidem habent, sciunt se divina, hoc est spiritus nativitate et gratuita electione filios dei esse non servos. Quum ergo filii familiae sint: non quaerunt quae se merces maneat: omnia enim nostra sunt, qui heredes dei sumus et coheredes Christi. Libere igitur, hilariter ac citra omne taedium operantur; imo nullum tam ingens opus est quod non credant perfici, sed eius quo fidimus, non nostra virtute. Quum vero in ecclesia sint morbi isti, incredulitas et fidei imbecillitas (sunt enim quidam qui prorsus non credunt, ii scilicet qui in coena iudicium sibi manducant et bibunt, quales Iudas et Simon Magus fuerunt; sunt et qui languidam fidem habent, ii scilicet qui temere fluctuant quovis metu imminente, quorum fides spinis, hoc est curis ac studio rerum mundanarum, oppressa iacet, neque fructum sive opus sanctum germinat): iam istos urgemus perinde ac Christus, Paulus et Iacobus, ut si fideles sint, opere sese nobis probent esse fideles: fidem sine operibus mortuam esse, arborem bonam bonos quoque fructus praebere, filios Abrahami opera Abrahami facere, in Christo nihil valere nisi fidem quae per caritatem operetur, ut sic legem non minus praedicemus quam gratiam. In lege enim, electi ac fideles, voluntatem dei discunt, impii terrentur, ut aut metu aliquid faciant in usum proximi, aut desperationem perfidiamque suam prodant. Sed simul nihili pendant admonemus ea opera, quae nos humana arte effinximus ut eis deo serviamus; quae certum est illi non magis placere quam si quis tibi, o Rex, cupiat servire aliqua ratione quam tu non ames. Tibi ergo, si serviendum est

voluntate tua: quanto magis in conspectum dei non adferemus opera quae ille non praecepit nec amat? Fontem ergo effodimus, ex quo bona opera profluant quum fidem docemus. Contra quum opera urgemus, velut debitum exigimus quod sine coactore non redderetur.

VITA AETERNA.

XII. Postremo *credimus* post hanc vitam, quae captivitas et mors potius est quam vita, felicem ac iucundam sanctis sive credentibus, miseram autem ac tristem impiis sive perfidis, usu venturam, et utramque *perpetuam vitam*. Qua iure et istud adversus Catabaptistas, qui animos cum corporibus dormire usque ad universale iudicium contendunt, adserimus, animum sive angeli sive hominis non posse quidem dormire aut otiari. Tam abest ut isti quidquam rationi consonum dicant. Animus enim substantia est adeo vivax ut non modo ipse vivat, sed ubicunque habitet iam domicilium quoque suum vivificet. Angelus quum corpus adsumit sive aëreum sive recens creatum: mox istud sic vita donat ut moveatur, operetur, agatur et agat. Animus humanus ut primum corpus incessit, id protinus vivit, crescit, movetur ac caetera vitae munera exercet. Qui ergo fieret ut animus corpore solutus torperet aut dormiret? Appellant animum Philosophi actum sive actionem a vivaci vigilantique, hoc est perpetua, operatione ac virtute. Quam vim Graeci significantiore vocabulo exprimunt, quum eam ἐντελέχειαν vocant, hoc est iugem virtutem, operationem, actuationem ac ductum. Constituta sunt visibilia in mundo a divina providentia eo ordine, ut ab illis ad invisibilium cognitionem ascendere humana mens possit. Habent ignis et aer inter elementa eum locum, quem animi inter corpora. Ut aer per universum mundi corpus nusquam deest: sic pervadit omne humanum corpus animus; ut ignis nusquam est sine praesenti operatione: sic animus nusquam non operatur. Id quod in somno quoque deprehenditur: somniamus enim et meminimus somniorum. Somnus igitur corporis munus est, non animi. Nam anima interim vegetat corpus, reficit, et quod detritum erat restituit, ut nunquam cesset operari, agere et movere, quamdiu est in corpore. Ut ergo ignis sine luce non est: sic animus nunquam consenescit ut torpeat, tenebrescat, occidat aut dormiat: semper enim vivit, vigilat ac viget.

Sed hactenus philosophatum sit de animo. Nunc ad scripturae testimonia veniendum est quibus probetur, animum nunquam interdormire. „Qui credit non venit in iudicium, sed transit a morte in vitam-" Qui ergo in hac vita credit, iam sentit quam suavis est dominus et coelestis vitae initium ac gustum quendam capit. Si ergo is animus, qui hic in deo vivit, mox ut corpore excessit dormiret: iam praestantior foret vita Christiani hominis in hoc mundo quam quum e mundo migraverit: isthic enim dormiret dum hic vigilans ac sentiens deo frueretur.

„Qui credit in me habet vitam aeternam." At vita non erit perpetua (hic enim aeternum pro perpetuo accipitur), si ea animi vita qua hic utitur postmodum somno interciperetur.

„Volo pater, ut ubi ego sum, isthic sit et minister meus." Si

ergo cum deo sunt diva virgo, Abrahamus et Paulus: quae vitae ratio est in coelis aut quod ingenium numinis, si isthic dormitur? Anne et numen dormit? Si dormit non est numen: quicquid enim dormit vicibus obnoxium est, et ideo dormit ut fessum respiret. Si numen fatigatur iam non est numen: illud enim insuperabile est omni operi ac labori. Si numen non dormit, iam animos quoque sic est necessarium non dormire, ut necessarium est aerem esse perspicuum ac dilucidum, quum sol supra terram est. Stultum igitur ac frivolum est Catabaptistarum commentum, quibus non est satis homines dementavisse, nisi et viventis dei certa et infallibilia oracula foedaverint. Haberemus adhuc multa testimonia: „Haec est vita aeterna ut cognoscam te" etc. et: „Accipiam vos ad me ipsum, ut ubi ego sum et vos sitis," aliaque huiusce sententiae; sed brevitatem servamus.

Credimus ergo, animos fidelium protinus ut ex corporibus evaserint subvolare in coelum, numini coniungi aeternumque gaudere. Hic tibi sperandum est, o piissime Rex, si modo instar Davidis, Ezechiae et Iosiae rerum summam a deo tibi creditam moderatus fueris, te visurum esse, primum numen ipsum in sua substantia, in sua specie cumque universis dotibus opibusque illius, fruiturumque his omnibus, non parce sed ad satietatem, non ad fastidium quod ferme comitatur saturitatem, sed ad iucundam impletionem quae perinde non adficitur taedio, atque flumina, dum perpetuo in mare defluunt et per terrae abyssum refluunt, nullum adferunt rebus humanis taedium, sed commodum potius ac gaudium semper rigando, laetificando ac nova germina fovendo. Bonum quo fruemur infinitum est, infinitum hauriri nequit, ergo fastidium eius neminem potest capere: semper enim et novum et idem est. Deinde sperandum est tibi fore ut videas sanctorum, prudentium, fidelium, constantium, fortium, virtuosorum omnium, quicunque a condito mundo fuerunt, sodalitatem, coetum et contubernium. Hic duos Adamos, redemtum ac redemtorem; hic Abelum, Enochum, Noachum, Abrahamum, Isaacum, Iacobum, Iudam, Mosen, Iosuam, Gedeonem, Samuelem, Pineam, Eliam, Elisaeum, Iesaiam ac deiparam virginem de qua ille praecinuit, Davidem, Ezechiam, Iosiam, Baptistam, Petrum, Paulum; hic Herculem, Theseum, Socratem, Aristidem, Antigonum, Numam, Camillum, Catones, Scipiones;[1] hic Ludovicum pium, antecessoresque tuos, Ludovicos, Philippos, Pipinos et quotquot in fide hinc migrarunt maiores tuos videbis. Denique non fuit vir bonus, non erit mens sancta, non fidelis anima, ab ipso mundi exordio usque ad eius consummationem, quem non sis isthic cum deo visurus. Quo spectaculo quid laetius, quid amoenius, quid denique honorificentius vel cogitari poterit? Aut quo iustius omnes animi vires intendimus quam ad huiusmodi vitae lucrum? Quum interim somniantes Catabaptistae merito somnum dormiant apud inferos, a quo nunquam expergefiant. Venit autem hinc eorum error, quod nesciunt apud Hebraeos *dormiendi*

---

1) Ista verba: „Hic Ludovicum Pium," et „Ludovicos, Philippos, Pipinos" a Bullingero omissa ex autographo adiecimus.

verbum poni pro *moriendi*, quomodo saepius apud Paulum, quam huc sit opus ponere, habetur.

DE CATABAPTISTIS.

Quoniam vero in Catabaptistarum mentionem incidimus: volumus tibi, o Rex, paucis eius sectae rationem perstringere. Genus est fere hominum perditorum, et prae angustia rerum extorrium, quorum quaestus est anus magnifico de rebus divinis sermone demereri, quo aut alimentum aut non minimam stipem depromant. Et omnino eandem sanctimoniam, quam Irenaeus Lugdunensis episcopus de Valentinianis, et Nazianzenus de Eunomianis scribunt, simulant. Qua deinde freti docent, Christianum non posse magistratum esse; non licere Christiano, etiam lege, etiam sontem, occidere; non bellandum esse, etiamsi tyranni, impii, violenti, imo latrones quotidie diriperent, occiderent et excinderent; non praestandum esse iusiurandum; non debere Christianum tributa aut vectigales exigere; communia debere esse omnia; dormire animas cum corporibus; uxores plures virum habere in spiritu, cum quibus tamen rem carnaliter habeat, posse; decimas ac reditus pendi non debere; et sexcenta alia. Imo quotidie novos aliquos errores velut lolium interserunt iusto dei semini. Qui tametsi a nobis abierint quia ex nostris non erant: sunt tamen qui nobis omnes illorum errores imputent, quum acrius contra eos pugnemus quam quisquam, diversumque ab ipsis in omnibus ante dictis doceamus. Quapropter, optime Rex, si alicunde tuae maiestati deferremur, quasi magistratum tollamus, insiurandum non esse praestandum perhibeamus et cetera, quae cacobaptistica lues mundo oggannit, doceamus: iam per veritatem, cuius te amantissimum praedicant, oro ac rogo, ne huius quicquam de nobis, hoc est, de iis qui in Christianae civitatis urbibus evangelium adnuntiamus, credas. Non enim tumultuamur, non infirmamus magistratum vel auctoritatem vel leges, non sumus in hoc ut quisquam fidem debitumque non praestet; quantumvis istorum nos quidam insimulent non iam occultis delationibus sed publicis scriptis. Quos hac potissimum causa non confutamus, quod iam furiosorum librorum mundus plenus est, quodque res ipsa quotidie manifestum facit quam mendaciter scribant, qui haec de nobis in vulgum spargunt, non Christi gloriae sed suae ac ventri consulentes. Obrepit autem illa Catabaptistarum lues isthic potissimum, ubi sincera Christi doctrina oriri coeperit, quo facilius videas, o Rex, a malo daemone immitti, ut in herba salutare semen extinguat. Vidimus urbes et oppida, quae recipere evangelium pulchre coeperant, hac lue infecta et veluti remora impedita stetisse, ut prae confusione nec divina nec humana curare potuerint. Quocirca et Maiestatem Tuam moneo (verbo absit invidia! scio enim quam stipatus sis optimis consiliis; sed non praevenitur quod non praevidetur consilio. Si istud malum tuis veniret in animum, scio, facile eos prospecturos esse; sed quum periculum istud nimirum ignorent: iam credo monitorem non aegre feres). Moneo igitur, quoniam fieri nequit quin et in regno tuo scintillae quaedam renascentis evangelii micent, ut a Papistis, quorum potentia plus aequo crevit, non patiaris bonum semen strangulari: nam pro illo Catabaptistarum lolium tibi, nihil tale

suspicanti, cresceret, quo tanta confusio rerum omnium per omne regnum tuum fieret, ut medelam invenire labor esset.

Haec est summa fidei praedicationisque nostrae, qua utimur per dei gratiam, parati cuivis rationem reddere: non enim vel iota unum docemus quam non ex divinis oraculis didicerimus. Neque adserimus sententiam ullam, cuius non primarios ecclesiae doctores, prophetas, apostolos, episcopos, evangelistas, interpretes, sed priscos illos qui purius ex fonte hauserunt, auctores habeamus. Id fatebuntur qui scripta nostra viderunt et expenderunt.

Proinde Sanctissime Rex [1] (quid enim vetat Sanctissimum vocare qui Christianissimus est?), accinge te ut renascentem ac reducem Christum honorifice accipias. Video enim Numinis providentia factum, ut Francici Reges christianissimi sint appellati, quum renovatio evangelii Filii Dei, Te rege, futura erat, quem amici simul et inimici omnes praedicant natura benignum: oportet enim Principem Christianum esse natura benignum ac suavem, iudicio aequum et gnarum, mente vero sagacissimum atque fortissimum. Eis inquam dotibus praedivitem Te numen fecit, ut hoc seculo splenderes, quo ipse cognitionis suae lumen redaccenderes. Macte igitur virtutibus istis heroicis prodi, clipeum et hastam corripe, atque in perfidiam ipsam incursionem impressionemque facito, animoso isto ac intrepido animo tuo, corporeque omni elegantia conspicuo. Ut quum reliqui reges Te primum videant christianissimum Christi gloriam vindicare, Te sequantur et antichristum eliminent. Da ut salutaris doctrina pure in regno tuo praedicetur! Polles prudentibus ac doctis viris, opibus populoque ad religionem propenso; non feres igitur animos et Dei et Tui observantissimos superstitione seduci. Nihil hic timendum quod calumniatores, ad obsistendum veritati, falso vociferantur. Bella sancta et iusta non modo tui sed exterae quoque gentes sociae bellabunt. Iusiurandum praestabunt citra cunctationem, non iam vulgus sed prophetae quoque ipsi, quum hactenus Papistae illud detrectaverint. Tributa pendent et prophetae atque vectigales, tam abest ut docturi sint non esse pendenda. Sua cuique iura relinquent integra. At si quid delinquitur arguent quidem sed propter nulla temporalia tumultuabuntur, ut qui hisce in rebus iudicem ordinarium agnoscant, quantumvis et illum corripiant ac taxent quum peccat. Crede crede, magnanime Heros! nihil istorum malorum usu veniet, quae Papistae minantur. Dominus enim ecclesiam suam protegit. Utinam liceat ut oculis tuis videas Principum quorundam qui in Germania evangelium receperunt statum, urbium autem innocentiam, iucunditatem ac constantiam. Iam ex fructu ipso dices: Non dubito ex deo esse quod natum est. Tu pro tua fide ac prudentia cuncta expende, et ignosce ausui nostro quo tuam Maiestatem rustice interturbamus. Res enim sic postulavit. Tiguri. [2]

Maiestatis tuae Deditissimus H. Zuinglius.

---

1) Quae in hac peroratione a Bullingeri editione discrepant, ad ipsum autographum nos restituimus, nihil esse quod dissimulemus cernentes.
2) Mensis et annus desunt in autographo.

APPENDIX[1] DE EUCHARISTIA ET MISSA

Sunt quaedam quae superiori expositione delibavimus parcius; ea nunc expositione copiosiore persequemur. Praecipue vero demonstrabimus, Papistas a veritate decedere, quum se pro peccatis offerre Christum in Missa promittunt, qui ut semel sese in cruce et iterum patri in coelo obtulit, sic peccatorum remissionem et aeternae felicitatis gaudium meruit et impetravit, ut qui se illum patri offerre iactet non alia re magis possit Christum antiquare aut negare. Quod hac via dilucidum facere conabor.

Primum ab adversariis quaero: Quisnam hominum Christum obtulerit quum in crucem est actus? Respondere aliter nequeunt quam, neminem illum obtulisse sed a se ipso esse oblatum. Id quod prophetae, ipse ipsiusque apostoli sunt testati. Oblatus est quia ipse voluit. Nemo tollit a me animam meam; et: Potestatem habeo ponendi animam meam atque iterum sumendi eam. Ego animam meam do pro ovibus meis; et: Panis quem ego dabo, caro mea est, quam ego depensurus sum pro mundi vita. Per spiritum sempiternum se ipsum obtulit immaculatum deo. Si ergo Christus tunc a nemine quam a se ipso est oblatus: quaero secundo: An ista vera sui ipsius in mortem oblatio habeat aliquid discriminis cum ista, qua eum Papistae offerunt? Si dicant nullum esse discrimen: iam sequetur, Christum hodie quoque pati ac doloribus adfici, imo mori oportere quum offertur. Sic enim scriptum est Heb. 2: 14. Ut per mortem exauctoraret eum qui habebat mortis imperium, hoc est diabolum. Rom. 5: 10. Reconciliati sumus deo per mortem filii eius. Ubi testamentum est, isthic necesse est ut mors testatoris intercedat. Hoc est: Si cui testamento legatum cedere debeat, necesse est ut testator moriatur. Testamentum autem sive legatum nostrum est gratuita remissio peccatorum, ut habetur Ier. 31: 35. et Heb. 8: 12. Hanc cum nobis legavit divina bonitas, iam necesse fuit ut is moreretur per quem gratia peccatorum nobis legata erat. Sequitur ergo, ut si Papistae nunc offerant, Christus etiamnunc moriatur. Nam si offerunt, oblatione tolluntur peccata; si peccata tolluntur, iam mortem necesse est intervenire: sine sanguinis enim effusione non fit remissio. Heb. 9: 22. et Rom. 6: 10. Quod autem mortuus est, propter peccatum est mortuus. Constat igitur omnino, ut si Papistae in remissionem peccatorum offerant perinde ac Christus sese obtulit, etiam occidant: nam sine morte non abolentur peccata.

Si vero inter suam oblationem et eam qua se Christus ipse obtulit aliquod est discrimen: quaero quodnam istud sit. Respondebunt nimirum pro veteri more, hoc esse discrimen, quod ille se realiter obtulerit, ipsi autem spiritualiter nunc offerant. Idcirco tunc necessarium fuisse, ut moreretur; nunc autem quia spiritualis sit illorum oblatio mortem non exigi. Quibus sic occurrimus: in re tam ardua nullum sermonem ambiguum aut obscurum esse praetereundum, ne scilicet non intellecta virtute sermonis a vero abducamur. Quaero igitur, quum dicunt spiri-

---

[1]) Hoc appendice Bullingerus auxit Zuinglii scriptum.

tualiter sese offerre; quidnam intelligant per hanc vocem *spiritualiter*; anne spiritum suum intelligant, ut sit sensus: Christum spiritualiter offerimus, hoc est in mente recolimus, recordamur et gratias agimus quod Christus pro nobis oblatus est. Si isto modo intelligunt *spiritualiter* offerre, quum scilicet in animo offerunt Christum: iam a nobis nihil quidem dissentiunt, sed a se ipsis plusquam τρὶς διὰ πασῶν. Tam enim abest ut Christum hoc modo offerant, ut se ipsos fide illi dudum oblatos visibiliter quoque in coena offerant. Si per *spiritualiter* spiritum Christi intelligunt, hoc sensu: Spiritualiter Christum offerimus, id est: spiritum Christi offerimus: iam obstat, quod supra quoque adduximus Christi verbum: Nemo tollit animam meam etc. Nemo enim potestatem in illum habet. Nam et ipse se ipsum per spiritum sempiternum obtulit, hoc est, animam et corpus suum in mortem tradidit, voluntate et iussu aeterni spiritus sive consilii. Hoc modo igitur Christum nemo nisi se ipse potest offerre. Si vero *spiritualiter* intelligunt hoc modo: Nos offerimus verum Christi corpus spiritualiter, hoc est quodam inenarrabili modo, ut sit verum corpus, non tamen reale aut naturale, sed suo modo spirituale, qui modus nobis ignotus est (sic enim ferre loquuntur): iam ostendemus eos nihil nisi verba concinnare, quae sibi constare non possunt. Quum enim constet Christi corpus verum esse corpus, ita ut unum idemque corpus, antequam moreretur et postquam surrexit, re et numero maneat; tametsi ex mortali factum sit immortale, ex animali spirituale, hoc est, divinum, purum, impassibile et spiritui in omnibus obtemperans: nunquam tamen sic mutatur aut transit in spiritum, ut non sit verum naturale realeque corpus, ante mortem quidem corruptibile et fragile, post resurrectionem vero incorruptum, firmum ac sempiternum. At unum idemque semper corpus. De *vero* igitur corpore intelligo, et quaero an dicant verum corpus offerri, sed modo inenarrabili. Respondent: Etiam nimirum. Quaero ultra, cur audeant dicere modum esse inenarrabilem, quum haec sit prima divisio rerum substantiarumque omnium, quod aut corpus sunt aut spiritus. Quae divisio tam late vagatur ut etiam deum comprehendat, angelos ac spiritus omnes. Deus enim est spiritus Ioan. 4: 24. Quum ergo nobis quaestio sit de *quid* est, non de *quomodo* est, ut ipsi cum philosophis loquuntur, hoc est, nos primo quaerimus *quid* offeratur; deinde quaerimus tandem *quomodo* offeratur, non quasi velimus operum dei rationem exigere, sed quum de re sive substantia non recte respondent: iam de, *quomodo* sit, ostendamus eos minus recte respondere. Sed ne quid Maiestatem Tuam offendant sophisticae nebulae, quod dixi propter contentiosos, planissime ac apertissime exponam.

A Papistis quaero de *re* primum: Quid offertis pro peccatis in Missa? Respondent: Corpus Christi. Dico ego: Annon verum et reale? Respondent: Etiam. Dico: Si verum et reale offertis, iam duo absurdissima sequuntur. Unum, quod vobis opus quod solius filii dei est sumitis. Ipse enim se ipsum obtulit, ut antea dictum est. Nam nemo potest quicquam offerre maius se ipso. Sacerdotes veteris testamenti offerebant pecuinas hostias; sed istae tanto erant humiliores ipsis sacerdotibus, quanto belua est homine inferior. Summam autem hostiam

offerebat quisque quum se ipsum domino dedicaret ac manciparet, hoc est, quum totam mentem deo devoveret, totamque vitam cum actionibus universis illius obsequio dederet. Unde et Apostoli nusquam nos docent alia quam nos ipsos offerre. Christus ergo per se ipsum solum offertur. Nam idcirco solus summus sacerdos in sancta sanctorum et semel tantum in anno ingrediebatur, ut figuraretur quod solus Christus pro peccatis esset perlitaturus. Alterum absurdum est, quod si Christum pro peccatis offertis, iam Christum occiditis: non enim abolentur peccata nisi morte. Nam granum frumenti nisi mortuum fuerit, fructum nullum profert. Si ergo non occiditis, nullum fructum facitis; si occiditis, iam recrucifigitis Christum, qui semel tantum est mortuus et mori ultra non potest, ut in Romanorum et Hebraeorum epistola Apostolus vere ac solide docet. Vide, prudentissime Rex, in quas angustias, in quae incommoda velut in syrtes trahi se patiantur ab avaritia Papistae. Christus solus potest se ipsum offerre. Oblatio solum tunc fit quum occiditur victima. Peccatum tunc solum aboletur quum perlitatur, hoc est: quum mactata hostia hilari a deo vultu recipitur. Sequitur ergo ut nemo hominum possit Christum offerre; quanto minus Papistae. Sequitur et hoc, ut si offerrent occiderent Christum. Quum autem Christus mori ultra non possit, sequitur, ut etiamsi Papistae libenter Christum occiderent, qua pro caede pecuniam acciperent, non tamen possint occidere. Mors enim illi dominari ultra non potest. Sed haec omnia magis tuae Maiestati fient perspicua, quum Apostoli testimonia adduxerimus.

Heb. 1: 3. Qui quum sit et radius gloriae et character substantiae eius, quique gerit omnia iussu virtutis suae, per se ipsum tamen peccatorum nostrorum expiationem perfecit etc. En tibi, optime Rex, quemnam esse oportuerit qui peccata nostra expiavit. Radius est aeterni solis, hoc est summi luminis. Character, hoc est similitudo et antitypus aeterni numinis, hoc est eius substantiae, quae per se ipsam est quaeque omnibus tribuit esse. Omnipotens est, ut cuius iussui omnia pareant. Quae ergo impudentia est, dum illum homines offerre contendimus pro peccatis, quum ipse sua oblatione peccata lustraverit?

Ibid. 5: 5. Sic et Christus non huc gloriae aut honoris sese ingessit ut pontifex fieret, sed is qui ad eum dixit: Filius meus es tu: ego hodie genui te. Quae ergo impietas et in deum contumelia haec est, ut homo sese pontificem faciat, quum ne filius quidem dei sibi hunc honorem sumserit, sed a patre acceperit?

Ibid. 7: 26. Talis nos decebat pontifex qui sanctus esset, alienus ab omni malitia, alienus ab omni contagione, alienus ab omni peccatorum scelere, quique coelis esset sublimior etc. Quae nunc creatura sibi sumere audebit ut pontificem se esse glorietur? quum eum pontificem, qui peccatum aboliturus est, sanctum et sine omni labe esse oporteat.

Ibidem: Hic autem noster pontifex tam abest ut non duret in perpetuum, ut etiam sacerdotium illius sit perpetuum. Quo fit ut semper salvare sive liberare possit eos qui per se ad deum veniunt supplicatum, perpetuo in hoc vivens ut pro eis interveniat. Quae stultitia est ei subrogare sacerdotes qui nec officio neque vita decessit? Christus sempiternus est sacerdos, sempiternus advocatus noster apud deum. Cur

igitur nobis alios paramus advocatos? Num mortuus est Christus? Num causam nostram deseruit? En fortissime Rex, quam contumeliosi in deum sint, ut Christum negent, qui se sacerdotes faciunt.

Ibidem: Hic noster non habet necesse, quemadmodum pontifices, primo pro suis offerre peccatis, deinde pro populi: hoc enim (pro populi scilicet) semel fecit, se ipsum offerendo. Semel videmus hic Christum oblatum. Quae ergo impuritas actum agere? Dum ille semel oblatus expiationem peccatorum perfecit, eaque per illum perpetuo durat; iam qui ipsum se offerre gloriatur, tantundem facit, ac si quis iactaret se mundum creare. Is enim ubi semel est creatus perpetuo durat; sic et redemtio semel per Christum impetrata aeque perpetuo durat. Non sunt enim opera dei ut opera hominum, ut instaurationem aut refectionem ni sortiantur corruant.

Ibid. 8: 1. Summa praedictorum haec est: Nos talem habemus pontificem qui in coelo sedet ad dexteram throni magnificentissimi etc. Quae igitur praesumtio est, sese pontificem aut liturgum facere, quum solus is sit noster pontifex qui ad dexteram dei sedet?

Ibid. 9: 11, 12. Quum autem Christus advenit: pontifex futurorum bonorum, per maius perfectiusque tabernaculum, ut quod manibus factum, hoc est, humano more conditum non erat; neque cum sanguine hircino aut vitulino, sed cum proprio sanguine in sancta ingressus est semel, redemtionemque perpetuam impetravit. Quae ergo contumacia est, filii dei provinciam sibi sumere? quum ille proprium sanguinem obtulerit et solus obtulerit, ita ut peccatis obnoxius homo iactet se eundem offerre sanguinem quem ille semel tantum obtulit; sed adeo amplifice ac abunde, ut comparata redemtio in perpetuum duret. Deus enim sempiternus est: qui redemit, idem et creavit. Adducam ex hac epistola unum adhuc testimonium, in quo quicquid diximus velut in tabella perspicitur.

Ibid. 9: 24. Non enim ingressus est Christus in manu facta sancta, quae verorum sanctorum typus tantum essent; sed in ipsum coelum, ut nunc compareat vultui dei pro nobis. Neque ingressus est ut saepe se ipsum offerat, quemadmodum Leviticus Pontifex quotannis cum alieno sanguine ingreditur: alioqui oportuisset eum crebro pati a condito mundo; sed semel nunc in ultimo saeculo cum sui ipsius victima comparuit ad peccatorum expiationem. En ut *offerri* requirat *pati!* Quae igitur oscitantia ista non videre, quod ubi *offertur* Christus isthic et *moritur?* Quum autem semel tantum potuerit mori, potuit tantum semel offerri. Sed semel oblatus in perpetuum purificat sanctificatos, hoc est ad aeternam vitam destinatos. Coelo sedere oportet qui patrem nobis conciliat. Unde et vera Christi ecclesia ea appellatur quae omnia per Christum et possidet et impetrat.

Sed quid maiestatem tuam pluribus turbarem? quum sole sit clarius, Christum neminem posse offerre quam ipse se ipsum. Secundo: semel tantum posse offerri eundem. Nam si eius oblatio iteraretur, hinc esset quod sua non esset sufficiens. Tertio: si offerretur, denuo pateretur. Constat igitur Papistas Christum et negare et evacuare. Verum quum veteres Theologi qui religionem Christianam purius ac mundius et

hauserunt et tractaverunt, eucharistiam (nam Missae nomen usque post Augustini tempora non est auditum) creberrime *oblationem* vocent: obiicere quis posset: Cur ergo isti oblationem appellaverunt, si non est vere oblatio? praesertim quum omnium iudicio doctius ac tersius locuti sint quam recentiores? Respondeo: Quanto quisque est doctior et religiosior, tanto minus aberrat a veritate, utcunque verba formentur. Eruditio enim velut lucerna quicquid dictum est illustrat oculisque exponit. Religio vero vetat, ne quidquam propter verborum speciem recipiatur a veritate alienum, sed sese admonet ad divi Augustini regulam, ac dicit: Utcunque tu verba non capias, aut proprietatem divini sermonis ignores: certum tamen est dei sermonem undique sibi constare, ut quantumvis diversis locis videatur sibi diversam habere sententiam, contrarius tamen sibi non sit. Quum autem nobis videtur prima fronte esse contrarius: hinc fit ut aut sermonis ignoratione aut religionis tenuitate alucinemur. Quum ergo vocant oblationem quae esse vera et naturalis oblatio nequit: iam religio primum est consulenda. Religio vetat, ut satis puto dictum est, alium esse posse sacerdotem quam Christum. Nequit ergo ne Papa quidem, quantumvis magnus, si illum suo aestimemus iudicio, Christum offerre. Istud quum ex religione firmum est: iam ancillatur eruditio. Ea, apage! dicit iustitiae: novum non est, res ab inventore, ab auctore aut a significatione nomen mutuari. Quam vocum commoditatem metonymiam, hoc est denominationem, docti vocant. Ut quum Paulus dicit: Velamen est super oculos eorum quum Moses legitur. Hic Moses *legem*, תורה, hoc est totum vetus testamentum significat, sed non alia ratione quam quia Moses deo volente iubenteque legem tulit. Et quum agnus qui in coena edebatur adpellatur *transitus*, qui transitum tantummodo significabat: sic et *eucharistia* veteribus erudite ac sancte nominata fuit oblatio, non quod esset, sed quod significaret oblationem istam, qua Christus sese offerendo, una ista oblatione, perfectos reddidit atque expiatos in perpetuum eos qui sanctificati, hoc est a deo electi sunt. Sed commentum sit quod dicimus, nisi Augustinus eodem modo sentiat in epistola ad Bonifacium, quae est numero vicesima tertia.

AUGUSTINUS.

Saepe ita loquimur, ut pascha propinquante dicamus crastinam vel perendinam domini passionem, quum ille ante tam multos annos passus sit; nec omnino nisi semel illa passio facta est. Ipso die dominico dicimus: Hodie dominus resurrexit, quum ex quo resurrexit tot anni transierunt. Cur nemo tam ineptus est, ut nos ita loquentes arguat esse mentitos? nisi quia istos dies, secundum morum, quibus haec gesta sunt, similitudinem nuncupamus, ut dicatur *ipse dies*, qui non est ipse, sed revolutione temporis similis eius, et dicatur illo die fieri propter sacramenti celebrationem, quod non illo die sed iam olim factum est? Nonne semel immolatus est Christus in se ipso, et tamen in sacramento non solum per omnes paschae solennitates, sed omni die populis immolatur; nec utique mentitur qui interrogatus eum responderit immolari. Si enim sacramenta quandam similitudinem earum rerum quarum sacramenta sunt

non haberent: omnino sacramenta non essent. Ex hac autem similitudine plerumque etiam ipsarum rerum nomina accipiunt. Sicut ergo secundum quendam modum sacramentum corporis Christi corpus Christi est, sacramentum sanguinis Christi sanguis Christi est: ita sacramentum fidei fides est etc.

Ex his Augustini verbis nullo negotio deprehendit Celsitudo Tua, immolationem sive oblationem perinde vocari eucharistiam, atque resurrectionem aut passionem domini, qui dies quum rem veram quae semel gesta est significent ac repetant, earum rerum nomina indipiscuntur. Constat igitur toto errare coelo Papistas quum Missam sive eucharistiam oblationem veram faciunt, quum solum sit similitudo et rememoratio oblationis. Constat et hoc, ineptos esse ac imperitos, qui putant sacramenta et panegyres non iure vocari earum nominibus rerum quas significant; quantumvis non sint eae res. Papistae igitur quum ex signis rem facere contendunt, tantum proficiunt ut omnibus sese indoctos ac imperitos esse prodant.

Taceo reliquos errores, quos in Missa admittunt, aut potius arte fallaci excogitant et fingunt. Quod ea nundinantur et foenerantur, hoc non modo contra sanctimoniam nostrae religionis, sed contra omnem honestatem pugnat. Qui enim gentilium tam sordide unquam lucro studuerunt ut religionem aperte vitiarent? Quod redemtionem animarum ex purgatorio per eam pollicentur, quum neque purgatorius ignis, quomodo isti sentiunt, sit; neque ulla sit quae ad deum penetret hostia quam ea, qua se Christus in ara crucis mactavit et obtulit. Quod Christi corpus confici dicunt perinde a perfido atque a fideli. Quod Missam perinde valere dicunt a scelerato peractam atque a pio et sancto. Quod adeo imperite de corpore Christi loquuntur ut dicant in coena edi, ea magnitudine qua in cruce pependit, qua in praesepio iacuit; et sexcenta alia quae tam stulte quam impudenter adserunt. Et interim nos haereticos esse dicunt, si non omni eorum vesaniae adstipulemur; miraque mendacia concinnant, quibus doctrinam nostram suspectam apud eos, ad quos eius fama pervenit, reddant. Quasi negemus Christum esse in coena, negemus eius omnipotentiam, negemus eius verba, et alia eiusmodi. Sed tu, o benignissime Rex, brevibus accipe sententiam nostram de Christi corpore, quomodo sit in coena.

Christum credimus vere esse in coena; imo non credimus esse domini coenam nisi Christus adsit. Confirmatur: Ubi duo vel tres fuerint in nomine meo congregati, isthic sum in medio illorum. Quanto magis adest ubi tota ecclesia ei est congregata? Sed quod corpus eius ea dimensione edatur qua isti dicunt, id vero est a veritate et fidei ingenio alienissimum. A veritate, quia ipse dixit: Ego posthac non ero in mundo; et: Caro non prodest quicquam, ad edendum scilicet, isto modo quo Iudaei tunc et nunc Papistae putant edendum esse. A fidei autem ingenio abhorret, quia fides (loquor autem de augusta et vera fide) complectitur in se caritatem et religionem sive reverentiam et verecundiam. Quae religio abhorret ab ista carnali et crassa manducatione, non minus quam quisque abhorret edere amantissimum filium. Confirmatur: Centurio, cuius fidem Christus supra Israelitarum fidem

praedicat, per fidei verecundiam ad illum dicit: Domine! non sum dignus ut venias in aedes meas. Petrus autem, quum illum in captu piscium a se iubet exire per timorem qui eum incesserat, ex eadem verecundia abhorret ab eius corporali visibilique praesentia. Constat igitur et mentem et fidem, hoc est veritatem, quae unica mentis lux est, et religionem qua deum amplectimur, veneramur ac deosculamur, abhorrere a tam crassa manducatione, qua Capernaitae et Papistae sese perhibent vesci corpore Christi. Nam, ut Augustinus sentit, Capernaitae quum dicerent: Quomodo potest hic nobis carnem dare ad manducandum? et: Nonne hic est filius Iosephi? putabant sibi offerri corpus edendum, quomodo carnes a macello eduntur, quomodo scilicet sensibile ante eos stabat, in sua specie ac proceritate. Papistae vero quid aliud adfirmant quum dicunt, ea magnitudine qua in cruce ac sepulchro pependit et iacuit, Iesum manducari? Nam veritas et mens ab huiusmodi manducatione abhorrent, religio vero et fides sanctius observant et amplectuntur Christum quam ut hac ratione cupiant mandere.

Adserimus igitur non sic carnaliter et crasse manducari corpus Christi in coena ut isti perhibent, sed verum Christi corpus credimus in coena sacramentaliter et spiritualiter edi a religiosa, fideli et sancta mente; quomodo et divus Chrysostomus sentit. Et haec est brevis summa nostrae, imo non nostrae, sed ipsius veritatis sententiae de hac controversia.

Volo autem hic adiungere actionis formulam qua nos in celebranda coena utimur, quo tua Maiestas videat, Christi nos verba non immutare, non vitiare, non perversa sententia depravare; sed ea prorsus servare in coena, quae et in Missa servari debuerant, nimirum preces, laudes, confessio fidei, communicatio ecclesiae sive fidelium, et spiritualis sacramentalisque manducatio corporis Christi; contra vero universa omittere quae ex Christi instituto non sunt, puta: Offerimus efficaciter pro vivis et mortuis; Offerimus pro peccatorum remissione, et cetera quae Papistae non minus impie quam indocte adseverant.

SEQUITUR ACTIO QUA TIGURI ET BERNAE BASILEAE RELIQUISQUE CHRISTIANAE CIVITATIS URBIBUS QUANTUM AD SUBSTANTIAM PERTINET UTIMUR:

Primo *praedicatur satis longo sermone beneficium dei quod nobis per filium suum impendit, et trahitur populus ad eius rei cognitionem et gratiarum actionem. Eo finito ponitur mensa ante chorum, ut vocant, pro gradibus; ea sternitur mantili, imponitur panis azymus et vinum in crateras funditur. Deinde prodit pastor cum duobus ministris qui omnes convertuntur ad populum, ita ut pastor sive episcopus in medio illorum stet non alia veste, quam quae vulgo usitata est honestis viris et ministris ecclesiae. Tunc sic orditur pastor alta voce, lingua vero non Latina sed vulgari, quo omnes intelligant quod agitur*

In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti.

Respondent ministri nomine et loco totius ecclesiae: Amen! *Pastor:* Oremus!

Nunc genua flectit ecclesia.

Omnipotens aeterne deus, quem iure universae creaturae colunt adorant et collaudant, suum videlicet artificem creatorem ac patrem, da nobis miseris peccatoribus, ut eam laudem et gratiarum actionem quam unigenitus filius tuus dominus noster Iesus Christus nobis faciendam instituit, sincera fide peragamus, per eundem dominum nostrum Iesum Christum filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate spiritus sancti, deus, per omnia secula seculorum. Amen!

Hic legit minister qui ad sinistram stat: Quod iam legitur scriptum est in priore epistola Pauli ad Corinthios cap. XI. Convenientibus vobis in unum, non est ut dominicam coenam edatis, *et cetera usque ad hunc finem*: non diiudicans corpus domini.

Tunc respondent ministri cum ecclesia: Laus Deo! *Pastor*: Gloria in excelsis deo! *Diaconus:* Et in terra pax! *Hypodiaconus:* Hominibus sana et tranquilla mens! *Diaconus:* Laudamus te, benedicimus te, *et cetera usque ad finem huius hymni complentur alternis agentibus ministris, recitantibus versum pro versu, ecclesia omnia intelligente, et prius admonita ut quisque secum quae dicuntur in pectore loquatur ac reputet in conspectu dei et ecclesiae. Diaconus dicit*: Dominus vobiscum! *Respondent ministri:* Et cum spiritu tuo! *Diaconus:* Quae iam leguntur in Ioannis evangelio scripta sunt capite sexto. *Respondetur:* Gloria tibi domine! *Diaconus*: Sic locutus est Iesus: Amen amen, dico vobis, qui credit in me habet vitam aeternam. Ego sum panis vitae. Patres vestri comederunt manna, *et cetera usque ad hunc finem:* verba quae vobis loquor spiritus et vita sunt. *Post quae verba dicit Pastor:* Deo gloria, qui pro verbo suo dignetur nobis remittere universa peccata nostra. *Respondent ministri:* Amen! *Pastor*: Credo in unum deum. *Diaconus:* Patrem omnipotentem creatorem coeli et terrae. *Hypodiaconus*: Et in Iesum Christum filium eius unigenitum dominum nostrum, *et cetera usque ad finem symboli quod apostolicum vocant, quod perinde alternis recensent ministri alta voce atque prius hymnum Gloria in excelsis.*

Pastoris invitatio ad coenam digne celebrandam: Iam volumus carissimi fratres, ex ritu et instituto domini nostri Iesu Christi, hunc panem edere, et hunc potum bibere, quae sic praecepit fieri in commemorationem, in laudem et gratiarum actionem pro eo quod mortem pro nobis passus est, quodque sanguinem suum ad abluendum peccata nostra effudit. Quocirca probet et interroget quisque se ipsum, prout monuit Paulus, quam certam fiduciam in domino nostro Iesu Christo ponat, ne se quisquam pro fideli gerat qui tamen fidem non habeat, et sic reus fiat mortis domini; neque totam ecclesiam Christi (quae illius corpus est) contemnat et subinde in eam peccet. Proinde in genua vos demittite et orate: Pater noster qui es in coelis *et cetera usque ad finem. Et quum ministri responderint* Amen, *iterum oret Pastor!*

Oratio. Domine deus omnipotens, qui nos per spiritum tuum, in

unitate fidei, in unum corpus tuum coagmentasti, cui corpori tuo praecepisti, ut laudes et gratias tibi agant pro ea liberalitate ac beneficio, quod unigenitum filium tuum dominum nostrum Iesum Christum pro peccatis nostris in mortem tradidisti, da ut hoc tuum praeceptum ea fide impleamus, ne te infallibilem veritatem ulla mendaci simulatione offendamus aut irritemus. Da quoque ut tam sancte vivamus, atque tuum corpus, tuos filios familiamque tuam decet, quo increduli quoque nomen et gloriam tuam agnoscere discant. Custodi nos, domine, ne nomen et gloria tua propter vitae nostrae pravitatem in contumeliam rapiatur. Semper oramus: Domine auge nobis fidem, hoc est indubitatam fiduciam in te, qui vivis ac regnas, deus in secula! *Respondent:* Amen. *Deinde sic agit et verba sacra simul effatur pastor:*

Dominus Iesus, ea nocte qua tradebatur ad mortem, accepit panem (*hic accipit Pastor panem azymum in manus*); quumque gratias egit, fregit ac dixit: Accipite, comedite! Hoc est corpus meum quod pro vobis traditur. Hoc facite ad commemorationem meam. (*Hic simul praebet Pastor panem ministris qui circum mensam stant, qui protinus cum reverentia illum accipiunt et inter se dividunt ac comedunt. Interim Pastor pergit*). Similiter, postquam facta fuit coena, accepit et poculum (*hic simul accipit Pastor poculum in manus*), gratias egit ac dixit: Bibite ex isto omnes! Hic calix novum testamentum in meo sanguine est. Quotiescunque istud facturi estis, facite ad meam commemorationem! Quotiescunque enim panem hunc comedetis et de poculo isto bibetis, mortem domini praedicabitis, laudabitis et gratias agetis, usque dum veniat.

Post haec circumferunt ministri azymum panem, et accipit quisque sua manu particulam de exhibito pane, et postea reliquam partem praebet proximo suo. Si quis autem non vult panem sua manu contrectare, iam circunferens minister porrigit ei. Deinde sequuntur ministri cum crateribus et praebet alter alteri poculum dominicum. Ne abhorreat tua Maiestas ab isto accipiendi praebendique more! nam deprehensum est saepenumero, quod quidam qui temere consederant, qui tamen simultates ac odia prius inter se exercuissent, ex hac participatione sive panis sive potus animi impotentiam deposuerunt.

Iterum legit de suggesto alius minister ex evangelio Ioannis aliquousque, dum editur ac bibitur sacramentum corporis et sanguinis domini; incipit autem a tredecimo capite. Quumque crateres omnes sunt reportati, tunc sic infit Pastor: Procumbite in genua! *Nam sedentes et tacite auscultantes verbo domini edimus et bibimus coenae sacramentum. Quumque omnes procumbunt, infit inquam pastor:*

Laudate pueri dominum! Laudate nomen domini! *Diaconus:* Sit nomen domini benedictum ex hoc nunc et usque in saeculum. *Hypodiaconus*: A solis ortu usque ad occasum etc. *Et sic iterum alternis finiunt ministri hunc psalmum, quem Hebraei perhibent a maioribus suis dici solitum a mensa. Post ista adhortatur Pastor ecclesiam his verbis:*

Memores sitis, fratres carissimi, quidnam Christi iussu iam simul gesserimus. Testati sumus enim ista gratiarum actione quam ex fide peregimus, nos miseros quidem esse peccatores, sed mundatos corpore et sanguine Christi quae pro nobis tradidit et effudit, sed et redemtos a morte sempiterna. Testati sumus nos fratres esse. Id ergo praestemus caritate, fide, officio mutuo! Oremus ergo dominum ut amaram eius mortem sic alto pectore teneamus, ut quotidie pr atis quidem demoriamur, omnibus autem virtutibus sic fulciamur ac crescamus, gratia et munere spiritus eius, ut nomen domini in nobis sanctificetur, proximus autem ametur et iuvetur. Dominus misereatur nostri et benedicat nobis! illuminet vultum suum super nos et misereatur nostri! Amen. *Oratio. Pastor iterum orat:*

Gratias agimus tibi domine pro universis donis et beneficiis tuis, qui vivis ac regnas Deus per omnia secula seculorum. Amen. *Pastor*: Ite in pace! Amen.

Deinde digreditur ecclesia.

Hic vides, cordatissime Rex, quantum ad substantiam pertinet nihil deesse, quod ad eucharistiae iustum apostolicumque usum requiritur; abesse autem quaecunque suspecta sunt quod ab avaritia sint importata. Quod si quis queratur non licere nobis nova formula uti, etiamsi erratum sit nonnihil in Missa; quum enim hoc audeamus, haud secus esse quam si quis in regno aut urbe, neglectis legibus publicis, privatas sibi leges sanciat quibus vivere dum pergit reliquos in tumultum ac perduellionem coniicit; unde nos iure haereticos vocari: posse enim errores aliquamdiu etiam Apostolorum exemplo tolerari, donec publicus eccelesiae senatus aliud statuat: is quaeso consideret longe distare hanc regnorum aut urbium legumque similitudinem a divinis legibus, a veritatis et fidei libertate, et ab ecclesiae iure. Quicquid enim humanae leges iubent ad rerum externarum compositionem ac ordinem facit; sed quod divina lex praecipit, sic stringit conscientiam, ut protinus atque divinam voluntatem intellexit, se ipsam suo iudicio damnet, ni adsentiatur et obtemperet. Per legem enim cognitio peccati. Et quanto magis deprehenditur in spiritum sanctum peccari, tanto minus potest concientia adquiescere ac tolerare creatoris contumeliam. Quum ergo spiritu sancto magistro didicerimus, unicam esse et a solo dei filio factam oblationem, et illud primis ecclesiae nominibus subindicaverimus, ut quicquid erretur corrigatur; at illi magis ac magis contra veritatem non iam pugnent sed etiam saeviant: non debuit vi occupata pontificis potentia obstare, quo minus quisque veritatem tueretur atque filii dei ignominiam eliminaret. Nam quae ista esset, malum, ratio, talem morari pontificem ecclesiae, qui, quo fit et constat ecclesia, non revereretur? Constat autem ecclesia fide in deo illius verbum amplectente. Quum ergo ille verbo dei non credat: quomodo potest ecclesiam moderari? Deinde an potest fides ad hominum rationem incrementum aut moram capere? An quum dominus dixit: Quaecunque vultis ut vobis faciant homines, facite eis eadem, cunctari licet quo minus recipias legem istam, donec primates recipiendam censeant? Et haec certe lex ad humana tantum pertinet, quum filium dei offerre in deum ipsum contumelia sit. Postremo ius ecclesiae

est pro spiritus divini instinctu credere et vivere, Paulo praecipiente: Spiritum nolite extinguere! Quis enim non extemplo indulgentiarum nugas explosit, ut ementitum commentum esse intellexit? Non expectat fides alterius iudicium, sed suo consistit. Ea ergo, quum videt graves istas in dei filium blasphemias, sentit eas non esse tolerandas, sed ita aut abolendas esse aut fugiendas ut quam primum id fieri possit arripiat. Sic ergo apud nos est abolita papistica Missa, desertione et defectione. Quum enim populus ab ea cognito errore profugeret, sacrificuli pars abhorrerent, pars vererentur impetum vulgi: sic deserta est Missa primum ut necesse habuerimus prospicere de simplici Christianaque formula. Ea quum perfecta esset: indixit senatus urbis nostrae collationem et nobis et episcopis Rom. Eorum docti quum venissent, negabant licere sibi conferre de re tam ardua extra concilium (quum tamen post triennium, collationem Thermopoli ipsi summa cum corruptione indixerint). Senatus ergo noster auditis, quae ultro citroque adferebantur ex divinis scripturis atque scriptoribus, censuit neminem esse cogendum neque ad agendam neque ad audiendam Missam. Quum deinde pecuniae corruptela res tentaretur a Romanensibus: coeptum est violentius contendi; qua re coactus illustris senatus decrevit: Missam in perpetuum in urbe nostra more Papistico ne quis celebrato, nisi scripturis sacris illam adseruerit dignam esse quae servetur. Sic inquam abolita est papistica Missa, et instituta coena Dominica. Secuti sunt exemplum nostrum multi per Germaniam principes, nobiles, populi, urbes, et per orbem singuli sacerdotes innumeri, monachi, magistratus et privati homines. Nihil ergo praeter rationem apud nos factum est, nihil praeter oraculorum divinorum auctoritatem, quibus freti intrepide stamus adversus omnes insultus, certi eum qui a nobis stat fortiorem esse contraria virtute quacunque. Sed Missam missam facimus, Tuamque Maiestatem plurimum in deo valere optamus.

AD ILLUSTRISSIMUM CATTORUM PRINCIPEM PHILIPPUM SERMONIS DE PROVIDENTIA DEI ANAMNEMA.

VENITE AD ME etc. MATTH. XI.

Inter colloquium illud a **Philippo**, Landgravio Hassiae, Marburgi institutum Zuinglius praesente hoc Principe eiusque aula orationem sacram de providentia habuerat. Quumque Philippus eam litteris consignatam expeteret atque ad Zuinglium scripsisset in Pauli conversionem 25. Ian. 1530: Est mihi in optatis, mittas nobis eam orationem, quam habuisti Marburgi de providentia Dei scripto; item tuum intellectum verbi Paulini Cor. 1, 11: 29. „non diiudicans corpus domini!" pro illa oratione, quam litteris non mandaverat nec vero iam e memoria redintegrare poterat, Principi hanc lucubrationem impertiit.

Hoc scriptum typis excusum prodiit apud Froschoverum Tiguri die 20. Augusti 1530, decem foliis octuplicatis.

Hunc librum Gualterus imprimendum curavit in Opp. I. 352 a — 379 b. Anno 1531. eum Leo Iudae vernacule reddidit ita inscriptum: Ad Illustrissimum Principem et Dominum Philippum, Landgravium Hassiae de providentia Dei libellus, a Magistro Huldrico Zuinglio latine conscriptus. Matth. XI. foliis quatuordecim octuplicatis.

ILLUSTRISSIMO PRINCIPI CATTORUM PHILIPPO [1] HULDRICUS ZUINGLIUS

Gratiam et pacem a domino et servatore nostro Christo Iesu. Flagitas quod iustius postulares aut repeteres, piissime Princeps, sermonem quem in aula tua Marcburgi habui. Cuius equidem praestandi

---

1) *Philippus*, Landgravius Hassiae, natus 1504. iuvenili cum ardore reformationem amplexus erat, ab ineunte aetate ingenio et animo insignis., quare Maximilianus I. imperator iam 1518. eum sui iuris gerendoque imperioque maturum pronunciaverat. Bello contra Franciscum Sickingensem operam suam contulit ad frangendas opes nobilium imperialium et

tam promtus essem quam tu petendi, si voluntatem audiret memoria. Cur enim Celsitudini Tuae non ultro serviant omnium qui nostram religionem aut dicendo aut docendo colunt ingenia? Quum unus candide hoc agas, ut religionis crepundia et sancte alantur et tranquille adolescant. Unus, recte expendisti, unum, nisi solum deum, neminem recte nosse omnia; ad unius ergo sententiam hominis imprudenter constitui omnia. Unus, quum videas quid apud religionis Christianae liturgos aemulatio et simultas, imo ut candide et aperte omnia dicam, quid error et gloriae cupido possint: anxie caves ne assecclarum grex ille, vitiorum etiam magistri aemulus, studio suo in dissidium aut tumultum aliquem erumpat. Unus intelligis, si religionis summam probe teneamus, iam ceterarum opinionum diversitatem non tanti esse ut earum causa funem caritatis, quo, velut Atheniensium concio miniata chorda, in unum spiritum ac mentem coimus, perfringamus. Unus, etiam quum πληροφορηθεὶς ac certus es de re, quam alii adhuc paulo incivilius et indoctius controvertunt, sancta quadam hypocrisi fluctuare te atque ambigere simulas, ut velut errantium socius, quum amicitia et comitate, tum nominis Tui praesidio atque securitatis spe, et ab errore avellas, quum te videant impigre veritatem, ut illuxerit, amplecti; et metu liberes, quum te velut portum prospiciant, ad quem adpellent si quid pro mutata sententia periculi immineat. Hoc tandem est εἰρηνοποιεῖσθαι, hoc est Christianae tranquillitatis artes pure et probe nosse, hoc est pium se principem praestare. Adde, quo non iam doctis sed universis simul tum populis tum principibus te suspiciendum et imitandum praebes, quod unus tanta moderatione ac benignitate tuos regis, ut solus videaris reliquos huc manuducere, ut discant pars imperare volentibus, pars parere aequis imperiis. Quae tua virtus, inquam, fides ac prudentia, quamvis iuvenis adhuc, efficiunt ut qui te non exosculantur, aut splendoris tui iubar nondum viderint, aut viso maligne invideant. Contra quorum vota, si pergas manere quod esse coepisti, in eum modum crescere te faciet qui incrementum dat deus, ut et praesentibus et posteris nobile pietatis ac

---

secularibus et clericis principibus imminentes; idemque in primis debellavit rusticorum seditionem 1525, quae anarchiam Germaniae immanissimam intentaverat. Toto deinde pectore quum reformationi faveret: discessit in doctrinam Zuinglii liberaliorem et candidiorem, atque ut componerentur lites, quae Lutherum inter et Zuinglium de Sacra Coena efflagrabant, colloquium theologicum instituit Marburgi. Quamquam vero propositum hac via non efficeretur, pax et concordia amborum reformatorum: Landgravius tamen et Zuinglius, qui tantam inter se ingenii morumque similitudinem habebant, arctissimam inierunt amicitiam et convenerunt de societate, qua principes et civitates Germaniae Protestantes cum rebus publicis Helvetiae contra hierarchiam Papalem ac dominationem sacris in rebus Caesaream iungerentur nomine Christianae defensionis. Sed confessio Augustana, quae tanto Catholicorum commodo prorsus Protestantes ab se invicem seiungebat, bellumque Capellanum alterum hanc societatem luctuose interemit, quemadmodum Smalcaldico cecidit foedus Germanorum Protestantium. Qua quidem clade Philippus captivus in Caroli V. manum pervenit, usque dum victoria Mauritii, Saxoniae ducis, in libertatem eum vindicavit 1552. Ex eo tempore pacate et placide populo suo praefuit usque ad obitum suum 1567.

constantiae exemplum fias. Sed nunc ad me redeo: Si inquam memoria reddere cuncta, quae tunc a nobis dicta sunt, et verbis et ordine posset, iam nihil optatius contingeret quam occasio ista morem tibi gerendi. Quum vero tam tenax ac fida memoria, qua forte Porcius aliquis aut Seneca omnia resumeret, nobis negata sit, hunc in modum agam. De providentia brevem sed solidam arbitror summam in capita non plus septem digeram. Quae ubi perspexeris, credo si non sermonem ipsum, attamen argumentum idem ac materiam te accepisse fateberis. Omnia rudi ac simplici Minerva. Tu fortissime heros, interim rerum divinarum scientiam, interim innocentiam sic colas, ut omnes Cattorum principem catum sicut serpentem, et simplicem sicut columbam esse, ex salvatoris Christi praecepto, gaudeamus. Is te servet rei publicae suae diu incolumem! Amen. [1] Tiguri, Anno MDXXX.

CAPUT PRIMUM.

PROVIDENTIAM NECESSARIO ESSE EX EO, QUOD SUMMUM BONUM NECESSARIO UNIVERSA CURAT AC DISPONIT.

Summum bonum non ita dicitur quod supra omnia bona sit, quasi vero bona aliqua sint suopte ingenio bona, quae tamen illud bonum superet, quomodo argenti pretium aurum superat, quum utrumque sit pretiosum. Sed idcirco summum bonum adpellatur, quod solum et natura bonum est, et quicquid bonum esse intelligi potest id ipsum est summum hoc bonum. Quod Christus suis verbis sic protulit: Quid me vocas bonum? solus deus bonus est. In quibus verbis intelligi datur, solum deum sic esse bonum, ut absolute perfecteque bonus sit, ac de ratione boni nihil esse possit quod ille non sit, et postremo, quaecunque bona dicuntur, ut: Quaecunque fecerat erant valde bona; et: Omnis creatura dei bona est, participatione, aut potius precario, non natura bona esse. Hoc est: ita bona sunt, ut ab illo bono sunt, ut in illo bono sunt, et ut ad illius boni gloriam sunt.

Iam, ut ad fontes penetremus, proximum ac necessarium est, ut, quod bonum natura est, et in summo bonum est et quicquid bonum est

---

[1]) *Bucerus* de hac praefatione per epistolam ad Zuinglium: „Plus quam odiose proscidisti illos (sc. Lutheranos) et in praefatione ad Principem Cattorum. Quem insignem et immortalitate dignum librum haud debueras infausta hac praefatione invidiosum reddere." — Bucerus enim tum iam cum Luthero et sociis eius de formulis quibusdam agebat, quae his satisfacerent, sic tamen, ut intelligentiae et menti eorum, qui aliter sentiebant, latebrae relinquerentur. Zuinglius autem hanc prudentiam et artem aversabatur. (Bucerus ad Zuingl. 18. Sept. 1530.)

ipsum est, idem verum sit. Quod et philosophi non ignorarunt cum *bono* et uni *verum* ex aequo tribuerunt: unum scilicet quod *sit* bonum esse oportere; bonum vero esse non posse nisi idem verum sit, hoc est, purum, sincerum, dilucidum, integrum, simplex et immutabile. Haec enim omnia de natura veri sunt. Quae enim mutantur simplicia non sunt, non integra, dilucida, sincera, pura: quantumvis enim elementa captu mentis nostrae fingimus esse simplicia, re tamen ipsa permixta sunt. Ignis nisi aëre animaretur ferri nequiret; aqua quo sese absque aëre volutaret? qui gurgites sorberet atque revomeret? quo pacto pota quoque inflaret? Humus sine aëre neque exhalare neque producere nec denique amarum pelagus spongiae instar ebibere, ac per penetralia sua veluti per venas digestum dulce reddere posset? Aër vero ipse, qui motus atque lationis omnis dux est et auctor, quomodo nunc calidus ac fervens a meridie, nunc glacie frigidior a septentrione inveheret, nisi aut igne aut aqua respersus esset? Haec igitur, quae nos simplicia vel credimus vel fingimus, quo rerum nativitatem ac ortum in primas quasdam causas reiiciamus, quum revera simplicia non sint et idcirco mutationi obnoxia: constat unum ac solum summum bonum verum, hoc est simplex, purum ac integrum esse, quoniam idem solum est immutabile. Et e diverso, quum unum ac solum istud summum bonum sit immutabile: constat solum verum, hoc est purum, sincerum etc. esse.

Iam quod summum est et verum, simplex, purum atque integrum, primo esse oportet sciens atque intelligens omnium. Nam quacunque parte cessaret aliqua intelligere, isthic non esset perspicax et dilucidum, non integrum ac purum, quae de ratione veri natura sunt. Secundo, quod summum ac verum est, potens quoque omnium sit oportet. Nam quod ad summum attinet, facile videtur summum esse nequire, ni vi ac potentia primum ac summum sit. Sed fortasse labor erit probare, ut quod verum sit idem quoque sit potens omnium, nisi quod iam dudum diximus, nos loqui de summo bono quod natura perinde verum atque bonum est; summum autem bonum ideo esse quod, quicquid de ratione boni, id ipsum est numen istud de quo loquimur, atque hoc in summo est. Hoc est: si virtus atque potentia bonum est, iam numen nostrum summe potens est; si veritas bonum est, iam summe verum est, et sic deinceps. Ut summum bonum sit summa et subinde infinita potentia, ut summe verum sit, hoc est natura veritas, adeo ut nulla sit uspiam vis aut robur, nulla uspiam veritas, simplicitas, sinceritas, puritas, quae non ex isto veri fonte sit, imo quae non sit illa ipsa veritas. Ex quibus colligimus, si summum numen summum bonum est, et veritas de ratione boni est, ut summum bonum esse nequeat nisi verum sit, ac prorsus ipsa veritas: quod summum verum est, idem quoque summam vim esse ac potentiam. Coniungamus nunc tria ista, ac fideli intellectu conferruminemus summum numen, hoc est summam potentiam atque vim; deinde summum bonum, hoc est ipsam boni totam rationem ac summam; postremo ipsam natura veritatem, hoc est simplicitatem, puritatem, ucem, sinceritatem atque immutabilitatem! Unde videbimus, quum providentiam necessario esse, tum eandem omnia curare atque disponere. Quum enim de ratione summi veri sit omnia perspecta habere, ut quod

numen est necessario universa videat; de summae virtutis autem ratione, ut quod videt, imo ut omnia possit; et ultimo de summi boni ratione, ut quod perspectum habet et potest, bonitate quoque sua velit: confit, ut qui cuncta potest, cunctis prospiciat. Da enim, ut omnia quum possit, aliqua tamen ferri temere sinat!' Iam hoc inde veniet, ut aut quae sic feruntur, ipsum lateant; aut si non potest illum latere quicquam, per fastidium eorum curam vel abiiciat vel aversetur. Si illum latet aliquid, iam a veri ratione laberetur, nec esset summum bonum, summum verum aut ipsa veritas; sed ea parte qua hoc aut illud ignoraret, esset obscuritas, tenebrae et ignorantia. Si vero fastidiose negligit aliqua: iam summum bonum non est, quod a rerum a se conditarum cura abhorret; quum beluae nedum homines catulis suis prospiciant. Fieri enim nequit, ut aliqua creet aut producat deus, quae quidem antequam nata sint bona fore credat, at deinde nata fallant artificem suum, ut illi dicendum sit: Non putaram. Hoc enim insipientium est, non eius, qui ut veritas est ita illum nihil fugit aut praeterit; ita lux est quae universa illustrat et inspicit; ita limpidus fons aut speculum est superne rebus cunctis imminens, ut omnia in eo reniteant, quae fuerunt, quae sunt et quae ventura sunt. Da nunc secundo loco, ut quum summum bonum sit et rebus a se conditis propitium quidem sit ac faveat, sed regere aut opitulari non possit: iam summum non erit, iam virtus illa non erit quae omnium potens est; ergo deus non erit. Si deus non erit, non erit summum bonum nec ipsa veritas. Da postremo, ut veritas quidem sit quae universa intueatur penitissime, attamen aut non possit aut nolit his, quae suae subiecta sunt scientiae, prospicere! Qualem forsan quis paupertinum et invidiosum sapientem fingere posset, qui quamvis praevideret nascentia, indigens tamen virtutis et opis constituere aut auxilium ferre nequiret; aut si posset, per invidiam tamen nollet. Iam impotentem, exanguem, et mancum facies deum; deinde invidiosum quoque, luridum et ferum. Qui tam abest ut deus esse queat, ut cacodaemona atque adeo ἄτην ipsam nobis hac descriptione comprehendat. Iam arbitror constat providentiam esse et necessario esse, quum summum numen, lucem, sinceritatem, puritatem, simplicitatem, integritatem, hoc est veritatem esse, probatum est. Hoc enim quum universa intueatur: nisi universa quoque disponat, aut impotentia aut malignitas in causa est. Sed quum idem numen et omnia possit et in omnia bonum ac benignum sit: iam evidens est, illud ut novit omnia sic universa quoque disponere, ordinare et constituere; de quo mox fusius. Istud interim ostendere non gravabimur, ea quae patri, filio et spiritui sancto, uni tamen deo et numini, tribuimus, originem ex fontibus istis habere videri. Patri enim omnipotentia, filio gratia et bonitas, spiritui vero sancto veritas in sacris literis tribuuntur. Quae tamen omnia unius eiusdemque numinis et οὐσίας esse scimus, non aliter quam hic potentiam, bonitatem ac veritatem, quae ratione ac finitione quidem discriminata sunt, unum tamen atque idem summum bonum esse oportere, demonstravimus. Ut quemadmodum pater omnipotens, filius benignus et misericordiae arrhabo, et spiritus sanctus spiritus veritatis unus natura deus sunt, ita numen omnipotens bonum et verum natura est.

CAPUT II.

QUID SIT PROVIDENTIA ET QUID A SAPIENTIA DISTET.

Ostenso, quo et philosophos magis habeamus propitios, providentiam non modo esse, sed etiam necessario esse: proximum est ut quid sit demonstremus. Hunc enim illi quaestionum ordinem naturalem ac verum esse perhibent, ut primum expediatur, an res sit: secundo quidnam sit id, quod iam esse didicimus. Scimus igitur, sapientiam et prudentiam in divinis quoque literis pro se mutuo poni; quamvis non parum discriminis inter eas sit, quum utriusque proprietas paulo interius perpenditur. Est enim sapientia id fere quod Philosophi *δύναμιν*, hoc est potentiam; prudentia vero id quod *πρᾶξιν ἢ ἐνέργειαν*, hoc est actionem sive operationem, vocant. Quod exemplo clarius fit. Auditus est potentia, visus quoque; visio vero et auscultatio actiones sunt. Visus enim et auditus dormienti etiam non absunt; sed absunt visio et auditio, quae tunc solum sunt quum videmus et audimus. Sic sapientia vis atque potentia est summi intellectus (qui veritas, lux et puritas est), qua universa novit; prudentia vero agendorum ac disponendorum, quae nota et perspecta sunt, virtus. Ut prudentia magis actionem, sapientia vero vim ac potentiam magis connotet. Propter viciniam autem, ut diximus, prudentia pro sapientia ponitur, et e diverso. Et ne cui leve videatur quod dicimus, scripturae auctoritatem producemus. In Genesi cap. 41: 33. habemus: Quocirca prospiciat Pharao de viro sapiente et prudente etc. Ubi Hebraei חכם et נבון, *Nabon* et *Hacham* habent, quos nostri interpretes alias velut iurati vertunt *intelligentes* et *sapientes*; hic tamen Hieronymus in *sapientem* et *industrium* transtulit, ubi nullo negotio videmus industrium pro prudente argutum verborum iudicem posuisse. Septuaginta *φρόνιμον καὶ συνετὸν* transtulerunt, hoc est *prudentem* et *cordatum* sive *sapientem*. Quod ad sensum attinet, nolo huic loco alium obtrudere quam qui nativus est quemque interpretes secuti sunt; sed quod ad verba, mallem dicere, virum *sapientem* et *prudentem*. Sunt enim quibus perspicacia suppetat quidem, sed ad constituendum, ad expediendum et ad perficiendum consilia toti iacent. Est ergo *prudens*, proprie dum loqui volumus, vir sapiens, gnarus et cordatus ad consulte perficiendum, quae e re fore prospexerit. Et talis requirebatur ad opus istud, de quo Ioseph apud regem disserit. Sapiens erat Diogenes aeque ut Heraclitus; at prudentes nescio an adpellandi sint, qui quae optima viderent esse mortalibus nulla cura aut sollicitudine urgebant. Sed prudentes erant Ioseph, Moses, Iosias, qui quae per sapientiam videbant usui et religioni profutura, summa ope accurabant ut perfecta redderentur. Sic sapientia perspicaciam praecipue significat, prudentia conatum et energiam ad sapientiam addit. Utcunque tamen prudente pro sapiente nonnunquam utamur: providentia tamen pro scientia aut sapientia, praesertim quum de deo loquimur, fere non solemus uti. Sed providentiam cum audimus: sapientiam intelligimus quae universa prospiciat, et prospecta disponat. Unde ipsam sic finimus: Providentia est perpetuum et immutabile rerum universarum regnum et administratio. Per regnum potestatem, aucto-

ritatem ac dignitatem numinis intelligimus, de quibus antea satis, quomodo scilicet summum bonum esse oporteat rerum omnium potens. Ea vero potestas quum non sit violenta, molesta, tyrannica et proinde odiosa et intolerabilis: dignitatem et auctoritatem in expositione *regni* addidimus, quo volumus tam religiosum, sanctum, gratum et iucundum esse regnum numinis, ut nemo non volens pareat, qui modo agnitionem eius vel summis labiis degustarit. Administrationem vero adiecimus quum propter temperamentum imperii, ne quis istud, quemadmodum iam diximus, immanius acciperet; tum propter suppeditationem rerum omnium. Non enim imperat deus ut homines, qui ubi rerum potiti sunt, exigunt ut sibi omnia pro sollicitudine et cura reipublicae suppeditentur. Ille vero ultro suppeditat omnibus omnia, nihil repetens quam ut liberaliter a se donata hilares ac grati capiamus. Quum enim nullius egeat, deinde omnium opulentissimus sit et postremo bonus ac benignus, imo pater rerum e se conditarum: fit ut dando fatigari vel hauriri non possit, fit ut dare gaudeat, fit ut non dare nequeat. Quanto enim plura quantoque saepius dederit, tanto fit notior eius benignitas. Perpetuum deinde diximus esse regnum istud atque administrationem. Non quod *perpetuum* acceperimus, eo modo quo ipsum quidam distinguunt ab *aeterno*, ut hoc sit quod nunquam coeperit et nunquam desinat, illud autem quod aliquando coeperit nunquam tamen desinat; sed perpetuum pro aeterno accepimus. Ut sit regnum hoc aeternum quantum ad virtutem attinet: numen enim initium sumere non potest; quum autem creaturae aliquando coeperint: perpetuum quoque sit rerum cunctarum imperium ac moderamen. Immutabilem autem diximus administrationem ac dispositionem hanc ob causam, ut et eorum sententiam, qui hominis arbitrium liberum esse adseverant, non undique firmam et summi numinis sapientiam certiorem ostenderem, quam ut eam eventus ullus latere possit, qui deinde imprudentem cogeret aut retractare aut mutare consilium. Firma igitur est providentia, quia infallibilis et certa est sapientia, quia infatigabilis est potentia, quia inoffensa est benignitas numinis. Rerum postremo universarum esse regnum et administrationem providentiam definivimus. Nam si quicquam sua virtute ferretur aut consilio, iam isthic cessarent sapientia et virtus nostri numinis. Quod si fieret: non esset numinis sapientia summa, quia non comprehenderet ac caperet universa; non esset eius virtus omnipotens, quia esset virtus libera ab illius potentia, et idcirco alia. Ut iam esset vis quae non esset vis numinis; esset lux et intelligentia quae non esset numinis istius summi sapientia. Ac deinde lux et virtus illa altera si creata diceretur: creari non potuit nisi a numine; si a numine est: iam falso tribueretur ei peculiaris virtus aut sapientia. Nam ea perinde precario haberet a numine atque omnes creaturae, imo lux et virtus numinis ipsius esset. Si vero lux et virtus ista diceretur increata esse, iam deus quoque esset; et sic deorum vulgus postliminio induceretur. Omnis enim virtus aut creata est aut increata. Si increata, deus et numen est; si creata, eam ab illo numine creatam esse oportet. Quae tamen creata dicitur, quum omnis virtus numinis virtus sit: nec enim quicquam est quod non ex illo, in illo et per illud, imo illud ipsum sit — creata, inquam, virtus dicitur,

eo quod, in novo subiecto et nova specie, universalis aut generalis ista virtus exhibetur. Testes sunt, Moses, Paulus, Plato, Seneca. Res ergo nullae sunt quae non regantur a numine; nullae tam sublimes aut potentes ut nostri numinis imperium declinare possint; nullae tam humiles aut deiectae a quibus officium illius abhorreat. Quae omnia successu clarius et fusius patebunt. Isto capite satis sit ostendisse, sapientiam, bonitatem ac virtutem, hoc est, ut primis vocibus utar, veritatem, bonitatem et potentiam esse quae providentiam necessario constituant; ipsam vero providentiam rerum universarum aeternum et immutabile imperium ac administrationem.

CAPUT III.

CAUSAS SECUNDAS INIURIA CAUSAS VOCARI; QUOD METHODUS EST AD PROVIDENTIAE COGNITIONEM.

Sed quo res fiat manifestior, ab ovo rerum universarum nativitatem, existentiam, et operationem altius repetemus. Eorum quae nostris exposita sunt sensibus nihil a se ipso est. Id quod summis et imis, hoc est tellure et astris probabimus: nam de homine seorsim agemus. Tellus itaque, ut quam ocissime ad veritatis cognitionem penetremus, quum stupida res sit, sensu et intellectu carens, quomodo se ipsam gignere aut quibus seminibus sese procreare potuit? Si se ipsam e nihilo produxit, iam fuit antequam esset; id scilicet quod sese de nihilo excitavit. Si vero ex alio est: iam ex illo est, aut ut ex causa aut ut ex materia. Si tamquam ex materia: iam telluris materia alia est materia, et illa aut est eiusdem generis cum praesente, aut diversi. Si eiusdem est generis: iam istam proximam nostrae telluris parentem suam quoque matrem, nostrae videlicet aviam, habere necesse est. Deinde avia proaviam, proavia abaviam, abavia attaviam, attavia tritaviam requiret, donec ad terrarum et subinde mundorum vulgum istum perveniamus, quorum nondum unum subiecisse sibi gemebat indigne, si sic res habet, vocatus magnus Alexander. Quae sententia tempestive et a philosophis est in theatrum producta et explosa. Infinitos enim mundos eosdemque perpetuos constitueremus: nam quem nos tenemus nondum defunctus est; quanto minus ii qui huius nostri auctores sunt. Si autem ad hunc modum subolescunt, ut alia tellus a tellure alia, alius ex alio mundus nascatur: iam, quemadmodum in universis generationum successionibus, necesse erit capulares ac decrepitos saltem defungi, et infantes mundos locum eorum invadere. Nam si non moriuntur, iam olim infiniti mundi fuissent. Sed haec absurda mittimus. Si vero materia, ex qua tellus nata est, diversi generis est a filia, quod recentiores philosophi et theologi generationem aequivocam adpellarunt: iam eodem angustiarum detrudimur quo prius. Nam istius materiei alia erit materies, et huius deinde quoque alia; donec ad infinitatem praecipitemur. Neque terra locum suum inter elementa servabit; sed alia ista materia quae alumnae nostrae mater est, imo huius quoque mater, imo proavia, abavia et ceterae, imo nulla, quia alia, quam una et sola, non est. Nunc ad principalem partitionem redimus. Si tellus ex alio est, ut ex causa: iam

creata sit ea oportet. Modo enim auditum est ex materia eam non esse. E nihilo igitur esse necesse est. Quae enim e nihilo constituuntur ut sint, creata sunt. Nam haec est creationis finitio: esse e nihilo; vel: esse quod prius non fuit; attamen non ex alio tamquam ex materia. Unde, ne festinando illud transmittamus, non satis circumspecti fuerunt philosophi, quum in dubium vocarunt, mundus creatus sit an increatus. Quum enim duas istas mundi moles, coelum et terram, viderunt sensu et intellectu carere; suos tamen tum locum tum motum servare: alium quidem illis motorem et custodem praefecerunt, et eum animo ac mente praeditum perhibuerunt; sed non simul perpenderunt, mentem istam aut priorem mundo aut coaetaneam eius esse oportere. Si prior fuit mundo, initium ergo coepit mundus et creatus est: semper enim valet ratio quam supra de telluris creatione posuimus. Si vero mens ista mundo est contemporanea, quis menti dedit imperium in mundum? Ex aequo enim aeternus esset mundus atque mens, neque iugum sumsisse quidquam citra inferioritatis aut posterioritatis notam intelligi potest, neque coaeternum esse cum diminutione. Aeternum enim infinitum est; et quae coaeterna sunt, indubie quoque pariter infinita erunt. Quod si mens ista aeterna est et mundus coaetaneus: iam ut mens infinita est, mundus etiam infinitus erit; quod quam absurdum sit, sensus nedum animus videt. Quum vero unum ac solum infinitum esse possit et mundus infinitus esse nequeat, quoniam et partes eius omnes infinitas esse oporteret (quantum enim cunque aliquid sit, dum ex partibus est, finitum esse oportet, nisi partes quoque infinitae essent, quod iterum absurdissimum est: una enim parte infinita existente, quo extenderet alia infinitatem aut immensitatem suam?); mundus autem quum ex partibus sit, finitum esse oporteat: constat infinitum istud mentem illam esse, quem philosophi primum motorem vocant. Atque hic est numen ac deus noster. Cognito itaque, quod de ratione finiti est, coepisse, de ratione infiniti nunquam coepisse, itaque unum ac solum infinitum et proprie aeternum esse; viso deinde, mundum et universas partes eius finitas esse, et ob id temporarias et non aeternas: iam adaperiant oculos philosophi, et videant mundum finitum esse, creatum; aeternum autem non esse. Nam an perpetuus sit, hic non est disputandi locus, tum quod de exordiis non de exitu rerum nunc quaerimus, tum quod divina oracula fidelibus de hac re satis faciunt, immutandum scilicet esse mundum. Quum ergo mundus, ut a philosophis ad me redeam, esse coeperit: fit manifestum almam tellurem non esse ab aeterno neque natura constare; nisi naturam per antonomasiam numen illud nostrum intelligas, quod esse et virtus rerum cunctarum est, neque a se ipsa esse: ortam igitur atque e nihilo productam oportet.

Nunc ad astra ascendimus, pervestigaturi, num ista sint a se ipsis. Posset humana mens, quae ad rerum cognitionem segnior atque stupidior est quam de se opinetur, sic secum putare, tellurem permitti posse creatam esse, quum propter crassitiem et obscuritatem, tum propter inertiam ac torporem. Crassa enim ac impenetrabilis luci, in abyssis suis tenebrosa et nescia rerum omnium, nihil nisi iacet et sese scindi, tractari, fodi vertique sinit. Iners ac torpida ita sese non movet, ut si

quando invectus in specus eius aër aliqua ratione irritetur, ut subito sit ei erumpendum, quo illam pulset ac concutiat, iam portenti loco habeatur, ipsam esse motam. Adeo de eius inertia omnibus ita persuasum est, ut miraculum sit movisse; unde intolerabile esse si quis natam aut creatam neget. Verumtamen astra, quorum corpora tam sunt immania et idcirco inusitatae quoque virtutis, tam agilia ut eorum motus omnem celeritatem superet, tam dilucida ut quum tanto spatio a nobis distent, ad nos tamen usque penetrent atque aciem nostram perstringant — astra, inquam, creata esse non videri: eorum enim latione ac virtute rebus sensibilibus incrementum ac diminutionem ingeri. Atque omnino virtutis esse divinioris ac nobilioris quam vel tellurem vel eius cultores. Cui rationi primo responderi potest, perinde atque in telluris demonstratione ac partitione auditum est: astra corpora ista sua quantumvis grandia, agilia et perspicua, habere aut a se, aut ab alio. Si a se habent, iam aut a se coeperunt esse, aut ab aeterno a se sunt. Si a se ipsis esse coeperunt, iam fuerunt priusquam essent: sese enim genuerunt ut essent. Nam nihilum generare nihil potest. Si ab aeterno sunt, iam infinita erunt: solum enim infinitum aeternum est, et infinitum ac aeternum convertuntur, hoc est paria, imo re ipsa idem sunt. Astra vero quum infinita non sint (quantum enim illorum exercitum uno intuitu complectitur oculus, tantulum organum?) constat ab alio esse, qui alius, noster ille motor et auctor rerum universarum, deus ac parens est. Nam ut philosophos de coelis suis, de sphaeris, de orbibus eorumque potentia disserentes audiamus: consistendum tamen aliquando est in uno solo ac primo κινητῇ, hoc est motore. Hic numen est. Secundo sic respondemus verisimili apud simplices rationi: Quod astra contraria terrae corpora habent, puta, quod illa agilia sunt, haec iners ac stupida; illa dilucida, haec vero atra et obscura: nihilo magis primigeniam eorum esse naturam probare, quam si quis plantas, quod augescant, sobolescant, floreant, fructum reddant, senescant, emoriantur, tellus autem fere ista non faciat, primigenias esse contendat, quoniam scilicet virtute et operatione nobiliore sint praeditae quam terra. Nam e terra nascuntur, aluntur et sustinentur, ut a viciniore causa. Tam abest, ut maior agendi perfectio creationis iugum possit excutere. Quamquam interim quanto quaeque sunt perfectiora, tanto magis praedicant et testantur auctoris sui perfectionem.

Nata itaque sive creata esse quum tellus et astra negari nequeat, neque tum ista tum universa ex uno eodemque fonte promanare: proximum est, qua virtute cuncta consistant, ostendere. Ut ergo rerum omnium prima principia multa credere futile est: sic quicquam esse aut consistere posse, nisi in eo et ex eo sit atque consistat quod solum *est*, rudis est ac inexpertae mentis. Quum enim rebus primo necessarium sit, ut sint (nam quid, aut quomodo sint posteriora sunt): primo quoque datum est eis *esse* ab illo qui est fons et origo omnium quae sunt. At *esse* istud quod rebus ab illo datum est, utrum de suo an de alio mutuo accepit ut daret? Si mutuum est: duo sequuntur incommoda. Unum, quod tunc creaturae iustius in tabulas ac nomina creditoris istius, a quo mutuum est, acceptum referrentur; hoc est iam creaturae illi

recte accenserentur a quo acceperunt ut essent. Alterum, quod numen istud, quod principium rerum omnium est, non esset primum ac summum bonum et idcirco nec deus. Potentius enim ac locupletius bonum esset istud, a quo res acciperent ut essent, atque ob eam causam numen quoque esset; et hoc nostrum precario et μετωνυμικῶς, non vere esset numen. Quae quam stultum sit dicere, stulti videre queant. Si vero de suo *esse* esse istud accepit quod operibus et creaturis suis dedit: iam quaecunque sunt ipsum sunt, in ipso sunt, per ipsum sunt. Quum enim esse aliquod unum ac primum *esse* oporteat: iam quaecunque esse coeperunt ex illo coeperunt. Neque ita quasi contrarium sit *esse* creaturarum ab illo esse numinis; sed quasi eiusdem generis, eiusdem fontis ac parentis. Quod equidem sic accipi volo: Si quis partitionem istam: *Esse* quod rebus datum est aut ab alio quam a summo numine mutuari, aut ex illo ipso derivari oportere, velut insufficientem reiiceret hac causa, quod *Esse* novum rebus potuerit donari a numine quod neque de suo depromserit, neque ab alio mutuatus fuerit, quod novum *Esse* creaturarum aliud sit quam *esse* numinis: is hanc ferat responsionem: unum ac solum natura esse infinitum. Nam si duo quaedam, essentia diversa, infinita esse perhiberentur: non minus incommodi sequeretur, quam si quis lucem esse tenebras dissereret: nam quocunque alterum infinitorum proferretur aut extenderetur, isthic alterum contractum et abesse oporteret. Quum autem infinitum, quod res est, ideo dicatur, quod essentia et existentia infinitum sit, iam constat extra infinitum hoc *Esse* nullum esse posse. Nam quodcunque dares: iam ubicunque externum illud *esse* vel esset vel consisteret, isthic infinitum non esset, et eam ob causam neque infinitum esset. Quum igitur unum ac solum infinitum sit, necesse est praeter hoc nihil esse. Et secundum hoc sequitur ut quicquid est, in illo sit, imo quod est et quod existit ex illo sit; quum autem non sic sit ex illo quasi esse et existere eius, aliud vel diversum ab illo sit: iam certum est quod quantum ad esse et existere attinet, nihil sit quod non numen sit: id enim est rerum universarum *esse*. Sed hanc sententiam paulo φιλοσοφικοτέρως tractatam (quanquam quid attinet philosophicum adpellare quod divinum et religiosum est, nisi quod quidam non verentur veritatem odiosam reddere quum eam philosophis vendicant, non attendentes veritatem ubicunque et per quemcunque adferatur a spiritu sancto esse) hanc, inquam, sententiam exemplo primum, deinde scripturis confirmabimus. Exemplum tale est, terram, plantam, quadrupedem, quodcunque vis accipe, usque ad hominem (de illo enim seorsim, ut diximus, agemus); et ipsum quod acceperis secundum essentiam atque existentiam, non etiam secundum definitivam substantiam, neque secundum speciem, sed ut dictum est, secundum essentiam et consistentiam solum considera! iam videbis quodque illorum semper esse. Quadrupes enim, etsi animam exhalaverit, in aërem tamen postliminio redit ac veluti depositum reddit; corpus autem quum ponit, mox quidem animal esse desinit; at non desinit *esse*: corpus enim quod terrae restituit cum illa sinit esse; imo illam sinit esse donec alia ex se species producatur, quae deinde, etiam amissa specie in terram recidat, atque iterum aliquid novum nascatur; id autem

quamdiu tellus hoc ingenio quo nunc est praedita constat. Quae itidem ut esse semel coepit nunquam amittit: nam etsi aliam indutura sit aliquando speciem, esse tamen nunquam cessabit. Unde iniuria crediderim ludibrio tanto exponi, tum Pythagoricorum παλιγγενεσίαν, quam ipsi quidem necessario esse viderunt oportere, quod quaecunque essent ex eo esse vidissent quod est, et idcirco semper aliquid esse. Ceteri vero qui vel paulo sinistrius philosophati sunt, vel iniquius illorum depravata sententia nova dare videri voluerunt, illos ludibrio calumniose exposuerunt, quasi eandem speciem et permanere simul et subinde protinus in aliam transire adseveraverint. Unde et risus iste συγκρέσιος est, Euphorbum, gallum, et cetera fuisse Pythagoram, quod ipsum dixisse verisimile non est, sed per calumniam ab irreligiosioribus ei obtrusum esse. Tum eorundem μετεμψύχωσιν, quam non ita adseverarunt, quasi Euphorbi animus in gallinacei animam transierit: id enim esset speciem in speciem verti; sed ea ὕλη sive materies quam animus Euphorbi aliquando rexerat, postquam in terram redisset nec prior species esset, potuit deinde gallo aedificando et animando, quamvis alia specie, quum quod ad corpus tum ad animam pertinet, praebere materiem. Quod revera μετεμψύχωσις est, hoc est animae commutatio, sed non transmutatio; successio, non permansio. Quum enim qui Euphorbus erat animo esset praeditus qui intelligeret, colligeret ac meminisset; corpore vero quod humanam speciem referret: factum deinde est, ut corpore eo in terram macerato nova ex illo species corporis post multas mutationes, nempe galli, prodiret. En παλιγγενεσίαν! Ea species mox animam quae gallum deceret, non Euphorbi animum quo animose ad Troiam pugnaverat, reciperet. En μετεμψύχωσιν, hoc est animarum commutationem et successionem; at non transmutationem aut eiusdem speciei in aliam transitionem! Tum postremo C. Plinium naturae potentiam esse dixit, quod deum vocemus. Abhorrebat enim doctissimus vir a deorum vulgo, et subinde a nomenclatura. Hinc fiebat ut deos negaret esse; numen autem revera non negaret sed adsereret: quod enim ille naturam, nos numen appellamus. Ubi enim est illa natura, cuius potentiam tantam esse praedicat, si putabimus, quomodo ἄθεοι philosophi consueverunt, eum loqui de natura quae cuique peculiariter adsit. Quis ergo in tanto rerum dissidio pacem conciliat? quis vetat quo minus omnia confundantur? Praesertim cum videamus, non iam homines, sed elementa ipsa sic a se mutuo abhorrere ut, ni mediis quibusdam sequestribus places, nulla sis ratione ignem aquae conciliaturus. Si ergo quis Plinium credat naturam adpellare suum cuiusque ingenium, iam confusa erunt omnia: sic enim quodque a sui adversarii ingenio abhorret, ut ni alia vis accedat nihil constare possit. Quis enim Prometheus sepiae in ipsa pelagi abysso ceterisque piscibus ignem attulit, ut sanguis eorum caleat? nam calere suo modo necesse est quum rubeat et fluat. Suopte igitur ingenio ἄσπονδια, hoc est inconfederabilia et inconnubia, etiam prima elementa sunt. Non ergo sic capit naturam Plinius, quum dicit potentiam Naturae, quod nos deum vocemus: hoc enim pacto res nullae coirent, ut tertium aliquod ex eis resultaret; quum natura sic a se mutuo abhorreant ut

nulla alteram, ni fortiore atque externa aliqua vi coacta, admittat. Naturam ergo accipere videtur pro ea virtute quae universa impellit, sociat atque disiungit; id autem quid aliud quam deus est? Vidit eruditissimus vir, stolidos mortales a vero abesse quam longissime, quum quisque quod aut cupiebat aut aversabatur deum faceret. Hinc cepit eum deorum, utpote rei impudenter ac imprudenter confictae, fastidium. Vidit autem virtutem quandam esse oportere, cuius potentia et consilio universa et constarent et servarentur; et eam virtutem maluit naturam quam deos, quos plures esse nequire videbat, adpellare.

Sunt igitur tellas, astra, plantae, animalia idcirco, quia ex eo et in eo sunt quod semper ac solum est; quod sic est, ut si forte fortuna fingas non esse (id quod impossibile est), iam protinus, ut illud, numen scilicet, non esset, nihil omnium esset. Iam universae substantiae, universa corpora, astra, tellus, maria et breviter tota moles mundi eodem momento concideret atque in nihilum redigeretur. Cuius sententiae nunc testimonia, ut polliciti sumus, adferemus. Quum prius hoc obiter admonuerimus, ex his videlicet animorum intellectualium immortalitatem colligi. Quum enim res posteaquam esse coeperunt, esse nunquam desinunt: qui fieret ut mens ea quae tam vivax, indefessa et operosa substantia est, ut secundum auctorem suum etiam ἐντελέχεια iure vocetur, intercideret? quum ne bubo quidem aut porcus sic intermoriatur, ut esse quoque desinat. Sed ad testimonia accedemus.

Mosi percontanti nomenclaturam dei, responsum est coelitus: Ego sum qui sum. Et addidit numen: Sic dices filiis Israel, *existo* misit me ad vos. Quae verba sic intelligi debent, ut in *ego sum qui sum* posterius *sum* κατ' ἔμφασιν intendatur: id enim nisi fiat, nihil minus frigida et inanis erit oratio quam quum dicis: Homo est homo; quadrupes est quadrupes, et similia. Quae quid lucis humano intellectui adferunt? quid docent? Habet igitur secundum *sum* hanc emphasin: Qui *vere* sum; aut: Qui sum ipsum *esse* rerum omnium; quomodo patres numine adflati ante nos olim expediverunt. Quamvis hoc ipsum id quoque ostendat, quod se mox velut *Existonem* adpellat, ut qui non modo ipse existat, verum etiam universis quae existunt existentiam suppeditet. Nam si quicquam suis viribus existeret: iam deus nihil plus dixisset, quam si quis se legatum esse affirmaret alicuius qui existeret. *Existonem* igitur sese vocat hac ratione, quod et per se ipsum existit et aliis ut sint atque existant sese fundamentum ac solum suppeditat, ut iam nihil aut sit aut existat quod non ex illo et in illo et sit et existat. Abhorreremus plane a figmento inusitatae vocis, nisi videremus plus dicere eum qui *Existonem* deum vocat, quam qui existentem; et nisi ad Hebraicae vocis אהיה ingenium propius accederet. Quum igitur esse et existere priora sint quam aut vivere aut operari; imo fundamenta horum sint: colligitur, quaecunque vivunt aut operantur, ex illo atque in illo vivere et operari, ex quo et in quo sunt atque existunt. De quo mox evidentius.

Paulus apostolus quum Romanis scribens in id argumenti incidisset, huc sententiae tractus est, quam et his verbis exprimit: Nam ex ipso et per ipsum et in ipso sunt omnia. Scio postremum hoc membrum

in ipso Graecis legi εἰς αὐτὸν, hoc est *in ipsum* potius, quam *in ipso*. Sed conatum est divinum pectus tam vehementer activa locutione omnium in deo existentiae veritatem enunciare, et non tam perhibere, in deum omnia ordinata esse, quam in ipso et ad ipsum, hoc est secundum ipsius praesentem vim, et in ipsa virtute eius existere. Ut εἰς αὐτὸν positum sit, pro ἐν αὐτῷ καὶ ἀντὶ ἐπ' αὐτῷ, hoc est *in ipsum* pro *in ipso* et *apud ipsum*. Id quod priscus ille interpres, non hercle ubique dormiens, vidit, quum *in ipso* transtulit. Ex deo igitur tamquam fonte, ac (si fas est sic loqui) materia, universa emergunt ut sint. Per dei virtutem universa existunt, vivunt et operantur; imo in ipso, qui praesens ubique est; et secundum ipsum, qui omnium *esse existere* ac *vivere* est, omnia sunt.

Idem quum per occasionem Athenis evangelion orditur, sic de numine disserit: Deus qui mundum condidit et universa quae in eo sunt, quum coeli terraeque dominus existat, non habitat in templis manufactis, neque hominum manibus ei servitur; quasi cuiusquam egeat qui rebus universis vitam et animam tribuit; id autem per singula. Ipse quoque ex uno sanguine omnes mortalium gentes fecit ut totam faciem terrae teneant, definitis temporibus ac terminis habitationis eorum, ut se dominum quaerant, et fors ad illum offendentes inveniant, ut qui non longe absit ab uno quovis nostrum. Nam in ipso sumus, vivimus et movemur, quemadmodum et poëtarum vestrorum quidam locuti sunt: Huius enim et genus sumus. Genus ergo numinis quum simus: non debemus numen simile putare etc. His verbis Paulus superius dicta sic munit et firmat, ut supervacaneum sit pluribus agere, nisi ut hoc non praetermittamus in hac sententia: *Nam in ipso sumus, vivimus et movemur*, non istum ordinem verborum esse in Actis quem nos vertimus. Est enim hysteron proteron Hebraicum, et *existendi* verbum quod natura primum est, postremo isthic ponitur. Quum autem et Hieronymus et alii (ut in Iesaiam ostendimus) huiusmodi incommodis naturali ordine saepenumero medeantur: licere nobis permisimus quod res postulat. Nec tamen solus homo in deo est, vivit et movetur; sed universa quae sunt, in illo sunt, vivunt et moventur. Neque de solo homine locutus est Paulus: In eo sumus, vivimus et movemur, sed per synecdochen de creaturis omnibus. Quum enim inter sensibiles creaturas solus homo intellectu et sermone praeditus sit, solus de universis velut patronus et advocatus loquitur. Nec solus homo divini generis est, sed universae creaturae, quamvis alia sit alia nobilior aut magis ingenua. Attamen genere ex deo et in deo sunt, et quaeque quo est nobilior eo plus praedicat divinam gloriam et potentiam. An non ea, quel vel murium generis sunt, sapientiam et providentiam numinis ebuccinant? Dum ericius aculeis suis adeo artificiose pomorum vim non parvam cubili suo importat, sese super ea volutans et aculeos infigens? Dum mus alpinus, quem nunc murem montanum vocamus, stationarium aliquem de suis in editum constituit, ut palantes ac operi intentos nullus de improviso metus obruat, quem ille non prodat tempestivo latratu, reliquo interim exercitu foenum undique mollissimum diripiente; quumque plaustrorum egeant, ipsis se in plaustra commo-

dantibus: vicissim enim alius sese supinat et ventri ac pectori impositum foenum universis pedibus amplectitur et stringit; alius vero socium nunc quadrigam factum cauda comprehendit, atque cum praeda in cubile trahit, quo immitis brumae intemperiem somno excipiant? Dum sciurus, ligni latiore particula ore ad littus tracta, navi ad traiiciendum utitur, porrecta simul pilosa cauda, quem quum ὄρος impellit, non aliud velum desiderat? Quae obsecro vox, quis sermo, divinam sapientiam aeque ac ista, inter animantia ferme humillima, depraedicare queant? Potentiam autem numinis, bonitatem atque vivificam virtutem an non ἀναίσθητα, hoc est ea quae sensu carent, sibi semper esse praesentes testantur? quum universorum altrix terra nunquam non exorari sese patiatur, immemor vulnerum ligonibus, cultris ac vomere inflictorum, ut commeatum uberem praebeat; quum ros ac imber flumina cuncta, quae incremento sitis iniuriam sistunt, sic excitent, imbuant et reficiant, ut augendi miraculo divini roboris ac vitae praesentiam testentur. Quid montes, stupida, rudis ac iners moles, quum terram, non secus quam ossa carnem, continent ac firmant; quum transitus aut vetant aut difficulter permittunt; quum tellure sint graviores, supernatant tamen et non sidunt: an non infractam numinis potentiam et maiestatis illius pondus ac molem enunciant? In his igitur non minus quam in homine divinae virtutis praesentiam, qua existunt, vivunt et moventur, deprehendimus.

Christus ipse pilos capitis nostri in numerato haberi adserit; imo ne passerculos quidem duos qui teruncio veneunt, extra conscientiam numinis in terram delabi. Quibus discimus ea quoque, quae fortuita sive contingentia vocamus, non esse fortuita aut temeraria, sed numinis iussu ac dispositione cuncta geri. Cuius mens non vilescit rerum humilium cura, sed patefit illius bonitas et perfectio, quum nihil dedignetur eorum quae fecit, quumque tam absolute sapiens ac potens, sit ut citra laborem et ratiocinationem cuncta videns, vigilans ac diligens operetur.

Peregrinum testimonium si adduxero, non protinus ad cuiusvis damnationem consternabor, qui nondum perdidicit literas tum sacras rite adpellari, quum nuncient quid sancta, pura, aeterna et infallibilis mens sentiat. Si ergo vel apud Platonem vel Pythagoram invenias quod a divinae mentis fonte promanare odoreris, non ideo negligendum est quod mortalis illud monimentis comprehenderit; sed eo magis ad numinis commercium penetrandum, ut veritatis lucem clarius et clarius intueri liceat, quum eos qui unius dei religionem confiteri non fuerunt ausi, intus tamen habuisse videamus. Quae ubicunque est a numine est, etiamsi quis inter beluas habitaret. Senecae igitur verba de Platonis sententia huc ponere hac potissimum causa collibitum est, quod quaecunque sunt hactenus dicta quaeque dicturi hoc libro sumus, ex uno fonte derivata sunt, nempe de summi numinis natura et ingenio. Quem fontem Plato quoque degustavit et Seneca ex eo hausit. Cuius verba ad Lucilium de ideis, epistola sexagesima sexta, haec sunt:

„Haec exemplaria rerum omnium deus intra se habet, numerosque universorum quae agenda sunt et modos mente complexus est. Plenus his figuris est quas Plato ideas adpellat, immortales, immutabiles,

infatigabiles. Itaque homines quidem pereunt, ipsa autem humanitas ad quam homo effingitur permanet; et hominibus laborantibus ac intereuntibus illa nil patitur. Quinque ergo causae sunt, ut Plato dicit: Id ex quo, id a quo, id in quo, id ad quod, id propter quod, novissime id quod ex his est. Tamquam in statua (quia de hac loqui cepimus) id ex quo, aes est; id a quo, artifex est; id in quo, forma est quae aptatur illi; id ad quod, exemplar est quod imitatur is qui facit; id propter quod, facientis propositum est; id quod ex istis, est ipsa statua. Haec omnia mundus quoque (ut ait Plato) habet. *Faciens* hic deus est; *ex quo fit* haec materia est; *forma* haec est habitus et ordo mundi quem videmus, exemplar scilicet ad quod deus hanc magnitudinem operis pulcherrimi fecit; *propositum* propter quod fecit. Quaeris quid sit propositum deo? Bonitas. Ita certe Plato ait: Quae deo faciendi mundum causa fuit? Bonus est, bona fecit, bono nulla cuiusquam boni invidia est."

Et paulo post quum in unam causam omnia reiicit, sic ait eodem loco:

„Sed nos nunc primam et generalem causam quaerimus. Haec simplex esse debet: nam et materia simplex est. Quaerimus quid sit causa? Ratio faciens, id est deus. Ita enim quae nunc retuli non sunt multae et singulae causae, sed ex una pendent, ex ea quae facit. Formam dicis causam esse; hanc imponit artifex operi, pars causae est, non causa. Exemplar quoque non est causa, sed instrumentum causae necessarium. Sic necessarium est exemplar artifici, quomodo scalprum, quomodo lima. Sine his procedere ars non potest; non partes tamen haec artis aut causae sunt. Propositum, inquit, artificis propter quod ad faciendum aliquid accedit causa est. Ut sit causa: non est efficiens causa sed superveniens. Hae autem innumerabiles sunt; nos de causa quaerimus generali. Illud vero non pro solita ipsis subtilitate dixerunt, totum mundum et consummatum opus causam esse: multum enim interest inter opus et causam operis."

Ac deinde post aliquanta, ad hunc modum quum primae ac solius causae, tum rerum universarum conditionis ac ordinis contemplationem, excusat et commendat.

„Interdices mihi inspectionem rerum naturae, ac toto abductum rediges in partem? Ego non quaeram quae sint initia universorum, quis rerum formator, quis omnia in uno mersa et materia inerti convoluta discreverit? Non quaeram quis sit artifex huius mundi, qua ratione tanta magnitudo in legem et ordinem venerit, quis sparsa collegerit, confusa distinxerit, nimia deformitate latentibus faciem diviserit, unde lux tanta fundatur? ignis sit an aliquid igne lucidius? Ego ista non quaeram? Ego nesciam unde descenderim? semel haec mihi videnda sint, an saepe nascendum? quo hinc iturus sim? quae sedes expectet animam solutam legibus servitutis humanae? Vetas me coelo interesse, id est, iubes me vivere capite demisso? Maior sum, et ad maiora genitus, quam ut mancipium sim mei corporis. Quod equidem non aliter aspicio quam vinculum libertati meae circumdatum. Hoc itaque oppono fortunae in quo resistat, nec per illud ad me ullum transire vulnus sino. Quicquid in me potest iniuriam pati, hoc est *in hoc ob-*

noxio domicilio, animus liber habitat. Nunquam me caro ista compellet ad metum, nunquam ad indignam bono simulationem, nunquam in honorem huius corpusculi mentiar. Quum visum fuerit, distraham cum illo societatem. Et nunc quum haeremus, non erimus aequis partibus socii; animus ad se omne ius ducet. Contemtus corporis sui certa libertas est. Ut ad propositum revertar: huic libertati multum conferet illa de qua modo loquebamur inspectio. Nempe universa ex materia et ex deo constant. Deus ista temperat, quae circumfusa rectorem sequuntur et ducem. Potentius autem est quod facit, quod est deus, quam materia patiens dei. Quem in hoc mundo locum deus obtinet, hunc in homine animus; quod est illic materia, id in nobis corpus est. Serviant ergo deteriora melioribus" etc.

Haec Seneca ille animorum unicus ex gentibus agricola, non modo diserte, verum etiam religiose, de rerum conditione et administratione perhibet. Ubi tamen illud omnino adnotandum est, quod materiam non ita deo tribuit tamquam artifici, quasi materia per se ipsam constet aut sit; deinde ipse prius existenti manum admoliatur. Huc enim divinus ille animus facile potuit ascendere, ut universam materiam, hoc est, mundum visibilem (sic enim visibilem pro sensibili et naturali sancti quoque homines saepenumero adpellant) intelligeret fieri oportuisse, ut materia esset. Non igitur negat materiam esse productam ex nihilo, quam os divinum תהו et בהו, Gentium autem Poëtae *chaos* vocant, priusquam formae speciebus ex illa factis imponerentur; sed posteaquam mundus esse coepit et rerum universarum materies primo constituta est atque in medium posita, iam dei manum suae creaturae operam ac artem admovisse, atque posthac perpetuo admovere, ut omnia producat, et producta regat. Ut magis adseveret, numen tractare, facere, operari et agere omnia, quae circa rerum universarum materiem fiunt, quam ut materiam veluti ab se ipsa ortam aut natam parem cum deo causam faciat. Secundo et hoc adnotandum est, hominem quoque ex materia productum eumque totius mundi exemplum esse, ut quemadmodum iste a deo regitur ac disponitur, sic ille ab animo, non eo qui a deo alienus sit aut per se ipsum constet, sed qui dei audiens et cliens est, quique a deo inspiratur, fovetur, regitur ac pascitur; ut qui ex dei spiritu constat. De quo postea.

Divinis igitur undique oraculis fulti (divinum enim est quicquid verum, sanctum et infallibile: est enim solus deus verax; qui ergo verum dicit, ex deo loquitur. Et qui ratione hac intellectu a sensibilibus ad invisibilis dei contemplationem ascendit, Paulo teste, rem deo ac se dignam atque proficuam, non sine luce numinis, agit. Audeo igitur et divinum appellare quod a gentilibus mutuatum est, si modo sanctum, religiosum ac irrefragabile sit: id enim a solo deo esse oportet undecunque, a quocunque tandem proxime adveniat) confiteri cogimur, unam ac solam rerum universarum veram causam esse; reliqua omnia non magis esse vere causas quam legatus domini sui vere dominus est, scalprum aut malleus artificis poculi causa est; aut quomodo iumentum agricolationis. Quis enim legato principis sui nomen referat, aut scalpro poculi facturam, aut bovi agrum proscissum? Et quamvis istud in usu

habeatur, ut dicamus: Legatus regis de repetundis egit, non tamen legati est actio, sed regis. Et argentarius ipse quamvis paterae opus nonnunquam in malleum reiiciat, huius mallei opus est, inquiens, haec patera: nec tamen malleus iure aut vere causa est, sed argentarius. Sic taurum rusticus multorum iugerum cultorem praedicat, quum dicit: Hoc ingens arvum taurus ille proscidit, quantumvis vomere proscissum sit; quum tamen universae agricolationis auctor sit rusticus ipse, qui taurum in hoc educavit, docuit, duxit, qui vomerem coemit, cui aeque ac tauro tribuitur, quod iure ipsius non est. Vomer proscindit terram, dicimus; quod si faceret, iam in fabrum quoque, imo vero in ipsam incudem agricolatio rediret. Constat igitur causas secundas non rite causas vocari, quamvis de nominibus nunquam constituerimus pertinaciter digladiari; dummodo de rei veritate consentiatur: varie enim transferuntur nomina variis tum respectibus tum occasionibus. Ita ut hominem qui opem tulerit, deum vocemus etiam, non quod nomine velimus eum deum esse significare; sed quum deus solus sit omnium virtus, solus omnia potest ac facit etiam; ab homine tamen quum auxilium accepimus, ipsum deum καθ' ὑπερβολὴν appellamus, vel quod deus per ipsum opem attulerit, vel quod perinde atque deus solet iuverit. Quaecunque igitur media aut instrumenta sunt, quum causae appellantur non iure, sic vocantur, sed μετωνυμικῶς, hoc est denominative, ab illa scilicet unica primaque universorum quae fiunt causa. Proinde est, ut si quid angelo tribuatur non protinus angeli sit, sed dei mittentis angelum. Hinc est quod in Exodo constantissime adfirmetur, Mosen vidisse deum coram et facie in faciem, quum eodem loci negetur mortali oculo visus dei. Quid ergo? vidit deum an non vidit? Quod ad speciem attinet angelum vidit, non deum, nisi quatenus in angelo et in quavis creatura est; quod autem ad auctoritatem et veram causam, deum vidit. Unde et Paulus legem per angelos in manu, hoc est, legatis et praefectis angelis, mediatori Mosi traditam esse perhibet, quae in Exodo a deo, praesente et cum Mose humano more familiariter commentante, perhibetur tradita esse. Ex eodem fonte est ut soli et astris reliquis tribuamus, quae tamen unius ac solius dei sunt. Is enim in ipsis astris est; imo astra ut ex ipso et in ipso sunt, essentiam, virtutem et operationem habent non suam sed numinis. Instrumenta igitur sunt per quae praesens numinis virtus operatur. In hoc etenim creaturas condidit, ut eis in mutuam inter se commoditatem uteretur; quo admirabile hoc divinae sapientiae exemplum, homo, ubique numen contemplaretur inque rebus omnibus et eo propius in se quoque existentem, viventem, ac operantem cognosceret; quum virtutem, operam et ingenium eius in omnibus quae sunt quaeque fiunt videret. Inde etiam manat, ut homini adscribitur quod unius ac solius dei est. Qua ratione Apostolis peccatorum remissio fertur accepta; quum solus deus peccata remittat, ipsi vero peccatorum gratiam per Christum esse factam solummodo praedicent. In his enim numen praesens erat quod mentem eorum illustrabat, ut quod verum est perspicerent; pectus animabat, ut quod verum vidissent intrepide adnunciarent; auditorum vero animos ita inflammabat, ut spiritalem doctrinam spiritu protinus elamberent seseque pascerent.

An non et hic videmus, apostolum et verbum, quo utitur ad veritatis expositionem, instrumenta esse non causas; causam vero unicam, qua et Apostolus consistit et praedicat, numen esse? Atque ut summatim dicamus, non procreat humus, non alit aqua, non fecundat aër, οὐ θάλπει τὸ πῦρ neque sol ipse, sed virtus ista, quae origo est rerum omnium, vita et robur, terra velut instrumento ad generandum ac producendum utitur. Producta vero, quum cibo serventur, per aquam cibat et potat, mox per aërem exhilarat, implet et auget; igni ac sole excoquit, venustat, mulcet et absolvit. Haec enim virtus, nisi instrumenta ista in hunc usum acuminasset, hoc est ad hoc creasset et formasset, ut eis ad opus suum uteretur, quid nisi supervacanea et rerum aliarum excrementa essent? Porro quum natura sint inanima, attamen animatis omnibus divina liberalitas ex eis et per ea fomenta suppeditet: constat instrumenta rectius vocari quam causas. Causa enim nisi unica esse nequit: nam ut origo unica est rerum universarum, ita et causam unicam esse oportet. Quod autem deinde res aliae aliis serviunt, omnes tamen homini, quum dei virtus et hominem et universum regnum illius (praefectus est enim illis ut quae humi, in mari inque aëre versantur imperet) sustinere atque alere sua vita et praesentia posset, citra praedictorum ministerium; quemadmodum Mosen quadraginta diebus ἄσιτον sustinuit: constat, haec omnia quibus alimur et sustinemur instrumenta esse divinae operationis, non causas. Nam et philosophi quidam gravatim in civitatem causarum materiem admiserunt, ut quae nihil operetur, sed sese tractari sinat et operantis in se ictus recipiat. Nos vero, quum et materiam et virtutem omnem ex uno fonte manare sciamus: sacrosanctum esse videmus, omnem operationem, constitutionem, et conservationem ex eo fonte esse; et universa, quae nobis viciniora ac subinde notiora sunt, non vere posse causas esse quamvis sic adpellemus, sed unicae illius ac natura causae instrumenta. Ut quum almam tellurem triticum, arborem poma sua, solem lucem et calorem fundere videmus, iam praebentem dei manum non aliter contemplemur, quam quum benignus parens dulci filiolo botrum in palmite praebet. Numinis benigna virtus est quae universa donat; tellus, arbor, sol, cetera palmes sunt et racemus in quo munus nobis et praebetur et accipitur.

Sed iam tempus est, ut collectis sarcinis castra moveamus. Hoc toto isto capite volumus: Quum ex uno atque in uno universa sint, consistant, vivant, moveantur et operentur, unum istud solam ac vere causam esse rerum universarum; et viciniora ista, quibus causarum nomen damus, non iure causas esse, sed manus et organa quibus aeterna mens operatur et sese in eis fruendam exhibet. Qua sententia id summatim discimus: nihil fortuito aut temere ferri, quantumvis istud philosophi ac theologi controvertant; quum intellectus ille princeps pilos capitis nostri in numerato habeat. Imo ut scripturae auctoritatem donemus, necessarium tamen est, eum intellectum, qui princeps et origo est universae tum lucis tum scientiae quique ipsa sapientia et lux est, omnia nosse: nam quantumcunque parvulum esset quod ignoraret, iam quum non omnia nosset non esset princeps ac summus. Eum deinde

intellectum necesse est omnia disponere, curare et administrare: nam si quae videret quae non curaret: aut invidiae hoc esset aut impotentiae. Quum vero bonus sit et omnipotens, iam fieri nequit, quin universa curet, disponat et ordinet. Temere igitur ferri nihil potest. Haec tam certa et firma est collectio, ut quicunque providentiam rerum universarum infitietur, eadem opera deum neget esse. Nam si deus est (ut est: solummodo enim argumentamur adversum ἀθέους, hoc est, anumines): iam est qui omnia videat, qui omnia curet atque constituat, qui omnia operetur ac foveat. Contra vero, si quicquam fortuito et temere fertur, si quicquam sui iuris et alienum a numinis imperio est: iam eadem ratione quidque temere est fortuitoque diffluit, et perinde omnis omnium intellectuum sapientia, consilium, ratio frustra est et vana. Si enim quicquam extra numen est, vivit et movetur, iuxta illud pari iure ferri extra deum homo dici potest. Nihil igitur erunt intellectus, ratio, consilium: cuncta enim suae spontis ac soluta erunt, ut casui et fortunae universa, illis vero nulla pareant. Et sic numen prorsus nullum erit. Quod quam impium sit ac sceleratum vel cogitare modo, satis docet universi consideratio, ubi quodcunque contempleris, quodque tam mancum, frivolum ac languidum est, ut a se ipso esse nequeat. Ac dum ab alio esse cuncta necesse est: iam, velimus nolimus, in unum ac solum fontem rerum universarum, ex quo velut a carcere omnia procurrunt, manu ducimur. Sed iam ad hominem imus.

CAPUT IV.

DE HOMINE, ET CUR ILLI LEX DATA SIT QUUM DIVINA PROVIDENTIA CUNCTA GERANTUR.

Hominem omnium quae in mundi theatro visuntur maxime mirabilem esse dixit Abdala Sarracenus. Nos autem, si quis interroget, omnium creaturarum rarissimum et maxime admirandum esse respondebimus, ut qui angelicam quoque pulchritudinem admiratione superet; haud secus ac si gallinaceum iuxta taurum contempleris, praestantiorem quidem taurum deprehendes; sed gallinacei regium ornatum, animum magnificum, fastuosum incessum, infallibiles excubias, imperatoris ac ducis egregias artes, quantumvis gallinarum tantum plebi praesit, quando ad satietatem admiraberis? Sic angelus, nobilis quidem substantia, purus puta spiritus est. At hominem si iuxta hunc expendas, non coeleste solum, sed etiam terrestre animal, quomodo te non consternabit? quum in tanto spirituum choro nullum reperias qui terreno visibilique corpore (nisi fors ad horam sumto ac posito) sit amictus; et simul in tanta omnigenum animantium turba nullum invenias, cui intellectualis substantia praefecta sit rex ac moderator. Quibus facile colligimus, universorum opificem deum hominem non in hoc solum condidisse ut imago et exemplum eius esset, sed in hoc quoque ut ex his creaturis, quae de terra factae sunt, esset quae deo frueretur, hic commercio et amicitia, isthic vero possidendo et amplexando; sed in hoc ut umbram quandam praefiguraret eius commercii, quod aliquando per filium suum cum mundo initurus erat. Quomodo potuissemus enim planius ad filii dei inhumanationem manu duci,

quam quum ab initio spiritum intellectualem videmus stupido corpori inseri? sed in hoc ut sapientia eius in hoc opere non secus enitesceret quam artificis (nomen eius excidit) in Achillis clypeo. Ut enim ille admirandi operis firmitatem in articulum imaginis suae sic contraxerat, ut qui illam solvisset totum clypeum dissipasset: sic qui hominem e mundo tollat omnia visibilia viduet, turpet et conspurcet. Hominem enim aufer! ecquae ex universis creaturis sensibilibus deo fruetur? quae agnoscet? quae commercium habebit? Est igitur homo id mundo, quod homini deus. Herus est deus humanae mentis et dux, maritus mundi est homo: nam quaecunque videmus illius causa et bono facta sunt. Hunc ergo his aufer! an non orba et vidua reddidisti universa? Quem cui calefaciet sol? Cui flabunt feraces zephyri et favonii? an beluis? Cui beluae erunt usui? Cui patebit humus? quum nemo sit futurus qui intelligat quomodo rebus uti debeat. Hunc ergo rerum tantarum herum, maritum ac dominum necesse erat nonnihil habere de iis quibus praefuturus erat; rursus autem necesse erat, ut aliqua eximia dote praeditus esset, qua omnium contumaciam superaret ac frangeret. Corpore igitur donatus est, qui corporeorum omnium princeps designabatur; animo denique, qui solus ex cunctis corporeis cognationem et societatem cum deo reliquisque spiritualibus substantiis habiturus erat, rebus plane diversissimis. Quid enim alienius est a mentis et intellectus perspicuitate ac luce, quam terrae corporisque stupor et inertia? Sed opifex ille, quum coeno huic mersurus esset animum, vide ut ipsum maceraverit ac formaverit, ne indigno domicilio dignum hospitem dehonestaret. Prodierat villosus pectore leo, dente et ungue formidabilis, hispidus corpore toto ursus manu validus prorepserat; prosilierat ramosis cornibus cervus, sed hirsutus et pedes insuperabili ungula praemunitus; et cetera quaeque suis spiculis, hastis ac clypeis armata. At humanum corpus, dii boni, quam alienum ab omni asperitate producitur? Quod quidam ad miseriam trahunt, nos felicitatis insigne ac omen putamus. Quum enim ad fruendum deo et creaturis universis natus esset: decebat et corpus illum mansuetudini, paci et amicitiae accommodum. Hinc lutosum hoc coenum, ex quo homo constat, paulo exactius maceratum oportuit, ne ungues acuminatos, ne dentium falces, ne squamas aut ferrea tergora ad contumaciam et vim produceret. Quibus factum est ut coelestis animi hospitium undique lentum, leve ac limpidum constiterit. Decidunt illa in pedes quatuor; hic vero noster duobus nititur, quo rectius coelum cuius hereditatem ambit intueatur. Quid multa? inenarrabilis est si reliquis animantibus conferas humani corporis species et amoenitas. Utcunque tamen in hanc formam exierit humanum corpus, et coelestis mens ei credita sit: servat tamen ingenium et naturam suam utraque pars. Mens veri amans et subinde numinis reverens, e cuius substantia cognationem trahit, aequitati et innocentiae studet; corpus ad suam originem propendet, ad lutum, ad carnem, atque horum ingenium sequitur. Ita ut si hominem comparare cuiquam velis, nulli rei videatur esse similior quam si luti massam rivulo clarissimo et purissimo imponas. Mox enim quae limpida fluxerat, turbulenta volvitur, adeo ut superiorem puritatem ne sperare quidem liceat, quam diu luti huius massa imposita

manet. Sic est homo limpidum clarumque fluentum mens est, a numine ipso profluens, unde et veri ac iusti amans ac studiosa est, adeo ut si illam citra corporis stupidam molem consideres, quomodo scilicet angeli sunt, nihil foedum, turbulentum aut spurcum in ea deprehendas. Lutum corpus est, de terra sumtum, quod ubi animo imponis, liquidis mersisti fontibus aprum. Ut iam, quae natura clare perspiceret animus quaeque citra cunctationem propensus sequeretur, et luti crassitie velut immissa caligine obscure videat et eiusdem pondere veluti compedibus retractus teneatur, ut rectissima sequi non magis possit quam Tantalus sua poma comprehendere. Hinc bellum illud intestinum quo se mutuo oppugnant mens et corpus. Haec quum numen contemplari, cum illo colloqui deque rebus communibus commentari orsa est: subito retrahit e luto ficta caro. Stulte! inquit, quo ruis? Numen nihil est; quanto minus non curat res nostras. Ut sic utraque hominis pars ad suam semper originem respiciat retro, mens ad lucem, puritatem ac innocentiam anhelet, ut quae natura lux, substantia pura et iusti amans sit, ut quae ex numine originem trahat; corpus ad inertiam, torporem, tenebras, et stuporem propendeat, ut quod natura pigrum ac iners, a ratione et intellectu alienum sit, ut quod ex terra constet. Hinc quoque est, ut neutri parti tam felix unquam reportetur victoria, quin victa semper rebellet. Spiritus enim si arcem teneat, an non tumultuatur caro? quantumvis imminere regem ac imperatorem cervici videat. Quis enim sua sic in pauperes propter deum dispensavit, ut non aliquando dictaverit caro: Sic clarus evades, sic nomen facies, sic ad consulatum aut alium honorem adspirabis? Et quamvis praesumendum sit de quorundam dexteritate et vigilantia, ut huiusmodi scalis obrepentem hostem protinus resupinent atque prosternant: attamen audaciam suam non ponit caro, quo minus procaciter obluctetur et turbam aliquam felicibus orsis misceat; ut muliebri omnino sit contumaciae simillima eius importunitas. Caro autem, utcunque ad imperium spiritus penetraverit, ut iam nullius consilium quam quod venter suadet recipiat: melior tamen ac benignior animus suo semper tempore admonet, hortatur ac dehortatur. Nec enim dubium est ne tricongium quidem illum Torquatum vino unquam sic obrutum fuisse, nec cerebellis struthionum sic sepultum Heliogabalum, nec scortis, matronis atque pathicis adeo impudenter abusum Neronem, Dionysium aut Phalaridem non tam immaniter hausisse humanum cruorem, urbes, agros, regiones, provincias ac regna nunquam sic excidisse dirum Hannibalem, ut non quisque istorum et ipsorum similes, voluptate aliquando fessi, huiusmodi aliquid secum locuti sint: Tu vero quis? Aut quid hic? Quem finem invenies? An isti non sunt homines? Cur nunc doles? Quam exanguis et elumbis es? Quid, si quisque pro libidine alteri facere pergat, futurum est? Nunquam ita opprimitur animus ut sui perpetuo obliviscatur; nunquam carnis fastu ac tyrannide sic deiicitur, ut ab admonendo quantumvis sero desistat, ut e diverso spiritus miti parenti, summa fide ac indulgentia liberos prosequenti, par sit. Hinc quoque est, ut ad me redeam, ut caro non tantum spiritui ogganniat, sed illius quoque opus per calumniam ludibriumque imitetur. Vitae innocentia et puritate demerendum esse numen admonet animus; caro

nitida veste. Prodigus est domicilii quoque sui, sanguinis scilicet, animus pro domino; caro purpuram, cui sese involvit, hoc fungi officio dictat. Suspirat mens ad deum et de illius liberalitate cuncta sperat, non de suis meritis; caro, voces quoque si detonet ac reboet, deberi sibi omnia pollicetur. Unde nobis, ut maturius hinc solvam, tot superstitiones, ὑποκρίσεις et doli: aemulatrix enim caro spiritus est simia. Duae igitur nobis isthinc quaestiones praegrandes oriuntur. Una: Cur ergo deus tam infelicem condidit hominem, cui pax nulla unquam cum se ipso est? Altera: Cur aeterno supplicio addicitur spiritus, quum a carne superatur et opprimitur, quamquam caro aeque sit pars hominis atque spiritus et utramque acceperit ab ipso opifice deo? Priori ergo sic respondebit Paulus: An non licet figulo ex eadem massa fingere diversi generis vasa? An non licuit deo spiritum et lutum coniungere? Lutum potest homo in diversas figuras ducere; at animam dare et viva facere non potest. Deus, nisi vivum posset ex inerti et stupido fingere, nihilo esset quovis opifice praestantior. Nunc vero quum terram non modo viventem, sed etiam intelligentem atque divina curantem (salva sit tum corpori tum animo sua semper proprietas, dum de alterutrius ingenio seorsim agitur!) facit: prodit quantum omnium artes et consilia superet. O igitur profunditatem sapientiae liberalitatisque dei! O contra imperitos ac rudes rerum nos miseros, qui nondum hoc didicimus, dum sic quaerimus, cur hac conditione hominem creaverit deus, carnis suggestione id fieri, quae non iam animum, cui pondus ac remora est imposita, pro suis tum factis tum consiliis exigit, sed deum quoque rationem rerum gestarum postulare audet: Cur fecisti me sic? Quum nullius artis aut scientiae fontes quisquam mortalium sic noverit, ut quicquid ad illam pertineat non ignoret; quumque res nulla tam crassa, tam pinguis et grandis oculis nostris sit obiecta, cuius per singula rationem facturae possimus reddere. Immanis est elephantus; proboscidem videas licet ac dentes usumque consideres, attamen ignoras cur deus ea sic formare ad istos usus voluerit. Habet enim et aper exertos utrinque dentes, habet proboscidem quibus utitur; potuit ergo elephantum formare apri instar, inquis. Potuit inquam, sed iam aper non elephantus futurus erat. Et ad multitudinem creaturarum varietas illi placuit, ut ea homini quoque placeret. Impingit aper sine discrimine utrumque dentem cuivis vesco; elephantus altero tantum radices eruit quibus fruitur, alterius cuspidem prorsus intactam ad pugnam servat. Cur hanc industriam dedit numen? Aut quis usus, si non iam ferro sese trucident homines, sed elephanti quoque quum in se ipsos tum in homines hanc cuspidem ad hauriendam animam circumferant? Hic certe gradum sistere cogimur. Sic placuit illi cui licet quicquid libet, cui nihil libet quod non sit bonum, sanctum, iustum. Ad hunc igitur modum conditus est homo quo deo placuit, quoque universis qui ratione et intellectu pollent placiturus est. Stant suo quaeque ordine ac classe. Hinc maculosi pardi, isthinc saevae tigrides. Hinc opitulares tauri, isthinc sagaces equi. Imminent hac aquilae rapaces, illac praesagi vultures pendent. Occinunt isthinc hilares lusciniae, illinc merulae vocales. Hac navigant monoculi thynni, illac laeti saltant Delphini. Hiat hic

concharum inertia; isthic polyporum, arte carnes illarum diripientium, grex insidias struit. Sed age quis universa genera numeret, quum quotidie nova quaedam prodeant hactenus aut non visa aut saltem oblivioni tradita, ut a condito mundo non satis temporis habuerit homo, ut in omnium notitiam perveniret? Stat igitur et homo primus in omnium exodio et corona, qui cum immortalibus substantiis rationem et animum habet communem, cum mortalibus corpus et vitam; quem talem facere numen voluit satisque est voluisse. Haec ad primam quaestionem. Ad secundam vero: Cur, quum carnis sive lenociniis sive violentia peccetur, animus damnetur, breviter respondemus. Idcirco, quia contra legem agitur. Lex enim sancitur ne transgressio fiat; et ubi nulla est lex, isthic non est praevaricatio; in legem incidere nequeunt, quibus lex data non est: id quod experientia constat. Dilacerant sese mutuo canes; at nullus iniuriarum arcessitur; praedantur lupi, sed de repetundis nemo apud illos agit; abiiciunt inertes foetus ciconiae et aquilae, sed nemo accusat malae tractationis; init admissarius palam etiam equas totius viciniae, at nemo adulterium impingit. Atque haec omnia non alia ratione quam quod lex illis nulla est. Homini vero quum lex data sit et is in legem offendat, iam iure supplicio addicitur quod lex iubet. Damnatur ergo homo, quia legi occurrit, et audax contra illam perduellionem excivit. Verum iam gravior quaestio nascitur, ista scilicet: Cur ergo legem tulit deus homini, ad quam offendere potest; ac non potius exlegi concessit vivere, quemadmodum et reliquis animantibus, praecipue quum divina providentia cuncta disponantur et eiusdem virtute omnia gerantur? Ad hanc ergo quaestionem priusquam respondeamus, expendere volumus quidnam lex sit. Quam dum alii alias a forma definiunt, ut quum Paulus dicit: Lex est spiritualis; alias a fine, ut quum idem dicit: Per legem cognitio peccati, hoc est: Lex est peccati index; et quum Chrysippus, ut habetur. ff. De legib. et sen. consult. et lon. consuetudine, sic eam definit: Lex est omnium divinarum humanarumque rerum notitia, hoc est: Lex inducit in cognitionem divinarum et humanarum rerum: nullus tamen illam a materia definivit, hoc est: quidnam sit vere ac per essentiam lex. Hunc ergo fontem (verbo absit invidia!) ostendemus, et legem divinam scilicet hoc modo definimus: Lex est numinis iussus, illius ingenium ac voluntatem exprimens. Atque si lubet concisius loqui, dicito: Lex est perpetua voluntas dei. Quamvis priorem velimus exponere, quo tamen et posterior patefiat. Attingimus hic primo fontem, quum numini legem referimus; secundo genus, quum iussum adpellamus. Late tamen volumus iussum capi, ut comprehendat tam ea quae vetantur quam quae praecipiuntur. Postremo videmus quid per essentiam sit lex, nempe numinis voluntas et ingenium; ut quum legem audimus, discamus, quid velit deus, et quod ipse eius ingenii est, quod nos doceat. Quod adeo verum est, ut etiam in crassissimis istis legibus: Non occides; non furto auferes; non admittes adulterium, discamus eum natura sic esse animatum, ut violentiam odio habeat, iniquitatem, et iniuriam. Nisi enim sic ingeniatus esset, iam duplicitatis notam incurreret, quum aliud mandaret, aliud vellet. Constat igitur ut, quum lex iussus dei sit, expressa sit

illius voluntas; quumque illius est voluntas, ipse quoque illius sit sententiae quam nobis praecipit: quo posterior definitio perinde tendit. Hinc apparet, nostra tempestate quosdam primi, ut ipsi credunt, nominis non satis circumspecte locutos esse de lege, quum nihil aliud de ea quam quod terreat, quod damnet dirisque addicat, prodiderunt; quum re vera lex ista prorsus non faciat, sed contra numinis voluntatem et ingenium exponat: cui quid comparari potest? Si credit rex aut imperator sententiam suam, consilium et ingenium decurioni aut tribuno: quomodo ille non exilit et gestit prae laetitia? Et deus quum nobis legis pronuntiatione voluntatem suam et ingenium adperit, nullius facere audemus? Dilucidius ergo et modestius usus est Paulus huiusmodi enallagis. In Romanis enim diligenter cavet, ne tam vehementibus enallagis: lex damnat, lex inferis adiudicat, utamur. Et omnino huc tendit, ut legem pro sua sanctitate praedicet, nunc spiritualem illam, nunc vero bonam illam vocando, quum dicit: Quod ergo bonum est, morsne mihi factum est? Absit! inquit, sed peccatum, quo scilicet adpareret, id est, cognosceretur esse peccatum, per bonum (hoc est, per legem quam hic bonum vocat) operatum est mihi mortem, ut sic peccatum (quod scilicet nondum cognoscebatur, quum lex non esset cognita) supra modum fieret peccator (hoc est, ut magnitudo et immanitas peccati patefieret) per legem sive mandatum. En ut commode cavet, ne legem exosam faciat, si damnationem aut mortem illi tribueret. Quod equidem non in hoc dico, quasi huiusmodi enallagis in loco uti impium ducam. Sed quum quidam sint qui sibi solis divinarum literarum iudicium vendicent, quos tamen videas tum iam laudato, tum aliis multis locis adeo pueriliter labi, sola ignoratione rhetorices, quam tamen ex professo sibi sumunt: placuit omnino illos tum modestiae tum sui admonere. Modestiae, ne videantur legem contemnere, quae sempiterna voluntas dei est; sui vero, ut sciant se esse homines, quorum est errare, ignorare, labi, decipi et alucinari. Quae illis non minus quam aliis usuveniunt. Sunt autem in dicto Pauli argumento venustissimae enallagae et prosopopoeiae, quum nunc peccatum geometra fit ac mensor, lex perpendiculum, mox peccatum etiam peccator, veluti fur ἐν αὐτοφώρῳ deprehenditur; nunc a lege liberari dicamur, quum lex non magis possit aboleri aut cessare (loquor autem de lege spirituali, non de cerimoniarum lege) quam deus ipse; quum non a lege, sed a damnatione, quae nobis iure debetur propter contemtam legem, absoluti simus. Mox quum spiritualem vocat, plane ostendit tolli legem nulla ratione posse. Quae pigmenta, dum aut non cognoscuntur aut negliguntur, gigantes istos cogunt vel transilire, quae tamen exponenda sumserunt; vel ne quid ignorare videantur, aliquid obscurum, anceps et magnificum effutire, quo minus intelligas ipsos non intelligere quae tractant. Huiusmodi locutiones: Lex damnat; lex peccati reum facit, non aliter sunt verae quam si quis lumen deformium hominum coetui inferat, atque illi dicant: Ne importato lucernam! ea enim nos omnes deformes reddet. Hic certe lux deformes eos facere nequit, sed spectabilem reddit deformitatem. Sic non magis damnat hic lex quam isthic lux; sed proditur ad legem humana foeditas. Lex ergo lux est. Si lux est: iam dei

mens, intellectus et voluntas est. Sic ergo, ut ad propositum redeamus, satis declaratam et firmatam putamus legis definitionem. Nunc pauca tum exempla tum exceptiones pro declaratione praedictorum adiiciemus: Diliges dominum deum tuum ex toto corde, anima, mente ac viribus, lex est quum homini dicitur, qua primum discit numen deum ac dominum esse super omnia diligendum, id autem propter naturalem ac propriam bonitatem illius. Qua scientia quae nobilior et utilior humanae menti contingere potest? quod auspicatius nuncium, quam quum sese deus proponit hoc esse quod prae universis amplectendum ac deamandum sit? Quum ergo sese amandum exposuit, certum est quod et ipse amat: nisi enim nos amaret, cuius tandem causa se nobis aperiret? Discimus igitur secundo in hac lege, non tantum quod deus is sit quem amare supra universa debeamus; verum etiam illum ipsum natura amare non modo hominem, sed cunctas creaturas suas: nam nisi eas amaret, non crearet, non sustineret, non viveret et operaretur in eis. In isto solum discrimen est, quod quaecunque amat deus tanquam parens amat: nam supra se neminem habet quem vel miretur vel revereatur. Nos vero amamus illum tanquam auctorem et parentem. Ex quo istud ad exceptionem pertinens colligitur: Quae nobis leges sunt, deo lex non sunt: quis enim legem ei ferret qui summus est, aut quis eum doceat qui lux est? Illi ergo natura et ingenium sunt, quae nobis lex sunt. Et quum praecipit: Me unum ama! primum discimus eum, non ex lege quam illi ponere nemo potest, sed natura et ingenio amare. Secundo discimus et nos illum iure amare debere. Ità ut ipse supra legem sit, nos sub lege; ut ille sit amor qui nobis praecipitur. Iam et aliud exemplum addemus, quo superiora clarius exponantur, et exceptio ista, quod deus non sit sub lege, manifestior fiat. Quum praecipitur: Ne occidas! (Vetatur autem homicidium, non beluicidium): primo discimus deum aequitatis esse amantem, et violentiam abhorrentem; secundo discimus, aequum esse ut nos ad illius exemplum a vi abstineamus. Deinde quum ille pro sua voluntate occidit: non fit homicidia, quia sub lege non est; quum autem sub lege non est, non peccat. Sed quod nobis lex est, inquit, naturam illi esse dixisti. Si ergo natura non occidit, par est his qui lege vetiti non occidunt; si vero occidit, iam etsi contra legem non veniat, contra naturam tamen facere videtur. Si enim quod nobis lex est illi natura est, iam aut contra se ipsum facere concedas oportebit, quum occidit, aut homicidium non esse contra illius voluntatem, aut si sibi ipsi non est contrarius neque legi adversus est, sed occidit: ergo occidere non incidit in legem. Quam obiectionem facile diluimus et dicimus, deum non esse homicidam, quia neque iudex, dum causam cognovit et supplicio adiudicavit, homicida est. Is enim tandem est, qui iniquo aliquo privatoque adfectu, puta ira, odio, cupiditate motus, occidit hominem. Quos adfectus si iudex in consilium vocat: homicida est quantumvis in solio turgeat. Qui e diverso dum absunt, ab homicidii crimine excusant etiam privatum. Puta, si quis vim vi cohibuit, si in bello iusto iniquum et impium hostem prostravit. Deus autem quum eiusmodi adfectibus non possit esse obnoxius, non potest homicidium committere. Reconciliantur ergo

lex et natura divina iterum hoc pacto: Lege occidere non est homini interdictum; ergo dei naturae non est adversum occidere. Si enim legi competit occidere, competit et numini. Iudex aequitatis ac iuris custos, quum citra adfectus morti addicit, a labe purus est; et deus, qui est ipsa aequitas cuiusque universa peculium sunt, homicidium incurreret quum hominem occidit? qui nihil quam quod aequum et sanctum est potest. Constat igitur legem, ut propius accedamus, numinis ingenium, voluntatem et naturam esse, quod ad essentiam legis attinet. Quo fit, ut ubicunque lex dei pronuncietur, admirandum in modum reficiatur quicquid dei cognitionem habet. Eodem fit, ut quae dei notitiam non habent ex auditu legis nihil voluptatis aut commodi capiant. Quum ergo deus per legem voluntatem suam homini communicat: iam ista traditione sua duorum nos certos facit: unius quod ad deum cognoscendum nati; alterius quod ad illo fruendum destinati sumus. Quae sic fiunt evidentia: quia, nisi ad cognoscendum deum nati essemus, non ingereret ac manifestaret se nobis; et quum se nobis exhibet, satis experimenti dat, nos illum capere debere. Ut haec pars cuique sit ad intelligendum obvia. Altera, licet non est eatenus exposita, facile tamen ex priore deprehenditur, hoc modo: Si homo non esset creatus ad fruendum deo, supervacaneum esset illius habere notitiam: idem enim finis hominem maneret ac beluam. Nam nihil reportaret de cognitione dei, si post hanc vitam non viveret ac deo frueretur, quam vixisse: id quod beluis quoque usu venit. Sed quum deus sese nobis exhibeat et ad propius cognoscendum offerat: non temere est, verum in hoc ut eum possideamus, et quocum hic commercium inivimus adipiscamur. Quod si bona pars aeternis ergastulis et latomiis mancipatur, quamvis id iure propter contumaciam irrogetur: huc tamen nati sunt divina providentia ut iustitiam illius, exempla facti, praedicent. Nam et cacodaemon, quod ambitus damnatus est, nonne ut primum illum consideramus iustitia dei nobis commendatur? Aeque igitur et in reliquis eodem iudicio damnatis. Ad cognoscendum ergo et fruendum deo natum esse hominem, hinc necessario colligitur, quod deus per legem, voluntatem et ingenium suum cum homine communicat, quod nulli alii creaturae sensibili sic facit, ut eius notitiam et intellectum habeat; quantumvis in illo cuncta consistant, vivant et operentur. Quum vero ut paulo ante attigimus, quae dei notitiam nullam habent, a lege et voluntate illius abhorreant; et caro ex his sit quae dei notitiam non habent: fit, ut animus divinis rebus aurem praebeat; caro autem aversetur, quemadmodum diximus. Integrum enim servavit opifex utrique parti ingenium suum, quo admirabilis esset homo. Nam si vel inertiam et contumaciam suam poneret caro sub animi adventum; vel animus ad carnis coniunctionem in illam degeneraret: iam homo esset aut angelus aut belua. Necesse est igitur, ut homo peculiaris species permaneat, utramque illius partem proprietatem suam servare. Quo fit, ut volentibus nobis legem amplecti ex mentis desiderio, alia lex quae in membris, hoc est, in carne nostra scripta est, repugnet, ut quae velimus quidem pro animi probitate, per carnis tamen improbitatem non operemur. Quum autem utriusque vigor non suus sit sed praesentis dei, qui omnium esse, existere et virtus est, resultat,

ut omnino illius voluntate et conscientia caro spiritui ogganniat, perinde ac spiritus illius dicto audiens esse cupit. Videtur ergo et frústra lex dari, quum eam caro perpetuo contumax aversetur, neque unquam sic domari ac subiugari possit ut non rebellet, et iniuria damnari spiritum propter carnis petulantiam, quum illa quicquid operetur aut agat ex deo per deum faciat. Ut ergo ad hanc obiectionem, quae huius capitis summa est, tandem post multorum declarationem respondeamus, aut potius datam fusius responsionem colligamus, dicimus: Ad tam difficilem quaestionem cum verecundia et religione accedendum esse, quam, quum Paulus, electum dei organum, paulo penitius consideraret, prae granditate rei clamabat: O profundas opes sapientiae et scientiae dei! Quanto magis tam mediocribus, quales nos nondum sumus, cum pavore contrectanda erunt? Cognito autem, et credenti nihil esse impossibile, et veritatem credentes liberare: liberabit et nos metu veritas, at non religione, ut ad quaestionem cum reverentia respondere tentare audeamus. Est igitur satis superque iam dictum, quomodo utraque pars hominis suae speciei ingenium servet. Oportet itaque menti non minus superne instillari, ut in sua vita, hoc est in cognitione dei et lumine, servetur, quam corpori eiusdem numinis virtute suppeditari, ut sit, existat et vivat. Ut igitur homo sit homo non belua, necesse est illi divinitus inspirari, perinde ac margaritis mundus ros superne illiquitur. Unde patet non ideo supervacaneam esse legem et voluntatis divinae expositionem, quod caro illam non recipit. Sed quo magis illa obluctatur, eo magis necessarium esse subsidium spiritus quod clam carne intromittitur. Nisi enim animus isto praesidio munitus carnis impetus aut sustineret aut eluderet: non iam esset homo homo, sed belua, etiamsi speciem non amitteret. Adime enim homini rerum divinarum cognitionem et curam! iam humanarum peritia et cura non eximent a beluis: nam et beluae quaeque sui suorumque curam habent, ut sese, quemadmodum Tullius inquit, corpus vitamque tueantur. Si ergo homo nihil amplius videt, curat et sperat: iam nihil distat a beluis humanarum rerum cura. Ergo, ut homo homo sit non belua, nobiliorum et meliorum rerum curam atque cognitionem habeat necesse est. Quumque illam superne illatam habet, tunc tandem est homo. Animum enim habeat oportet et corpus animal istud, quod non est mere angelus, nec mera belua. Quod autem deus pertinacem carnem sustentat et alit, quamvis animo rebellet, eadem causa fit, qua et animus superne imbuitur. Oportet enim animal hoc isto esse admirabile quod et divina ambiat et corporeis utatur. Hinc est, ut id obiter tangamus, quod, praeter unum dei filium, nemo tam absolute doctus, sapiens aut iustus sit, ut nulla in re sese prodat hominem esse. Miramur quosdam errare, quum miraculum sit non errare. Miramur si quid nesciant, quos stulti putavimus ex tantilla eruditione omnia scire, quum omnia, non unus dico, sed omnes tum angeli tum homines, non sciant: id enim solius dei est. Miramur quosdam innocentia labi, quum impossibile sit hanc carnem sine contagione circumferri. Imo innocentiam eadem opera ab homine exigas atque ab eo, quem in lutosam paludem sedere iusseris, opus e bysso nitidum ac mundum. Lutum caro est; ex homine ergo quicquid

exit contaminatum est. Semper aliqua parte aures prodit Cumanus leo. Hodie in eucharistia dissentitur, num corpus Christi per essentiam re ipsa sive naturaliter ac vere edatur. Sunt ergo qui ῥητῶς isthuc adseverent, quos dominus tam abest ut ignoret, ut nisi ipse vitam et vires ad ista aliaque daret, ne viverent quidem, nedum disputarent. Sed his erroribus probat nobis homines istos esse, quibus quiddam supra humana tribuere incipiebamus, ut illud ἀπλανὲς καὶ ἀνάλητον eius solius esse videamus. Quum ergo homini sese deus familiarem faciat, voluntatem suam atque ingenium revelando per legem, et ille audax sive spiritus negligentia sive corporis violentia contra ipsum facit: iure damnatur. Exlegi quoque nullatenus licuit homini vivere. Qui enim exlex est, dei voluntatem ignorat. Quae dei voluntatem nesciunt ad illius amicitiam et contubernium non sunt creata. Beluarum ergo populo accenserentur homines, ni dei cognitione ac lege in angelorum ac beatorum censum referrentur. Quibus arbitror demonstratum est, legem quoque divina providentia datam, quantumvis illa cuncta curet ac disponat etiam quibus nulla est lex posita. Per legem enim statuit homini voluntatem suam significare, et per eam veluti per paedagogum regere et erudire, ita ut lex sit ipsa dei cognitio qua scitur esse dominus et moderator rerum omnium. Neque duae sunt operae providentia regere et lege erudire: providentia enim legem dat, ut recte hanc, inter creaturas rarissimam, hominum classem moderetur. Quae et ipsa successu clariora fient.

CAPUT V.

NON ESSE ALUCINATAM DIVINAM SAPIENTIAM SIVE CREANDO, SIVE PER LEGEM DOCENDO HOMINEM QUEM LAPSURUM ESSE SCIEBAT.

Iam si quis fateatur, legem quidem agnoscere non esse supervacaneum, posteaquam homo sic creatus est ex mente et corpore; verum ipsam dei sapientiam videri lapsam esse, quod talem creaverit. Nam si praescivit sic casurum esse hominem, in dubium vocatur divina bonitas. Cur enim non cavit lapsum? Si vero nescivit, iam alucinatione eius miserum esse oportet hominem, non aliter quam quum quis, chirurgi oscitantia aut inscitia deluxato crure non probe curatus, claudicat. Hanc igitur quaestionem transmittere non licet, quamvis ad sapientiae et bonitatis materiam potius quam ad providentiae pertinere videatur. Nam ut inter prima demonstratum est, veritate, sapientia, bonitate et omnipotentia necessario contineri providentiam: non erit alienum istam quaestionem dissolvere, qua bonitas et sapientia periclitantur ex quibus providentia consistit: hae enim si laberentur, haec nostra concideret. Quod ergo ad bonitatem attinet, non cessavit divina bonitas quum lapsum hominis non cavit, sed sese manifestavit duplici ratione, creando scilicet atque creato medendo. Creando: quum enim naturalis et intima deo causa creandi sit bonitas (hac enim motus condidit mundum, et ut sese frueretur favit): necesse est bonitatem in hominis quoque creatione concurrisse. Quod paulo evidentius, eadem auxiliante, ostendemus.

Omnis illa creaturarum immanitas in duas species digesta est: aut enim sunt intellectuales aut intellectu carentes. Intellectuales iterum in duas omnino species cogimus, in eam quae sine corpore, et eam quae cum corpore vivere ordinata est. Prior classis angelorum est, posterior animorum. Horum uterque tam angelus quam animus in hoc factus est intellectualis, ut summum bonum primo, deinde quae ab illo creata sunt cognosceret. Quum autem dei bonitas, de qua supra dictum est, non minus in se contineat aequitatem et iustitiam quam beneficentiam et misericordiam: necesse fuit ut, quum intellectus isti tum angeli tum animi creandi essent, hac ratione conderentur, ut dei iustitiam perinde ac benignitatem cognoscerent. Iustitia vero quomodo cognoscetur ni sit et iniustitia? aeque ac benignitas et mansuetudo non cognoscuntur ni sit violentia et feritas. Nam et bonum non cognoscitur quid sit ni malum sit, cuius comparatione et aestimatione boni ratio surgat. Dulce nemo unquam tam avide quaesisset, ni amari gustu attonitus istud amplectendum prae hoc didicisset. Id quod philosophi non ignorarunt, quum tradiderunt virtutem nihil futuram fuisse, ni vitium aut scelus illam quam laeta et utilis esset ostendisset. Et Demetrius philosophus, auctore Seneca, vitam securam et a fortunae incursionibus liberam sapienter mare mortuum adpellavit. Porro iniustitiam in sese nobis ostendere numen, quum nulla ratione posset, ut quod undique verum, sanctum, bonum natura sit, per creaturam iniustitiae exemplum produxit, non quasi creatura illam suo Marte produxerit, quae nec est nec vivit, nec operatur sine numine; sed quod numen ipsum auctor est eius quod nobis est iniustitia, illi vero nullatenus est. Quum ergo et angelo et homini cognoscenda esset iustitia, et illa sine opposita iniustitia obscura esset ac ignobilis: utrique quod rectum et sanctum est praescripsit, et contra quod iniquum ac perfidum erat vetuit. Nondum erat iniustitia, quum nemo dum transgressus esset legem. Transgreditur ergo uterque, quia uterque scire debuit quid esset iustitia et innocentia. Et ut primum transgressi sunt, iustitiae faciem viderunt. Alter enim beatis sedibus pulsus et aeterno igni mancipatus; alter beato quidem lare exutus, sed per misericordiam tamen servatus est: non aliter quam is, qui dum belli iure occidi potuisset, servatus tamen est ut servus sit. Horum utrumque operatus est deus, sed per impulsorem velut instrumentum, in angelo per ambitiosum animum, in homine per impulsorem, daemonem et carnem. Nec tamen aut ipse iniustus est, aut quod fecit illi iniustitia est: nam ipse sub lege non est. Quum angelo praecepit: Mihi pareto! me admirator! et homini: Ab hoc pomo abstineto et me colito! iam facile constat his legibus numen non teneri. Quum igitur angelum transgressorem facit et hominem: ipse tamen transgressor non constituitur, ut qui contra legem non veniat. Non est igitur peccatum quod deus fecit, sed homini atque angelo est: illos enim lex premit et accusat. Deo cum creaturis suis libere licet agere, non minus quam patrifamiliae cum rebus suis, quam figulo cum luto. Utcunque igitur creaturam huc impellat aut illuc agat: tam abest ut peccet, ut haec citra insigne aliquod bonum non faciat; quum interim homo cui lex est praefixa, etiam quum impellitur, peccet: adversus enim legem operatur. Duobus exemplis

hoc fiet luculentius: Habet paterfamiliae leges quasdam domesticas quibus liberos a deliciis ac desidia avocet: Lecythum mellis qui tetigerit, vapulato! Calceum qui non recte induxerit aut inductum passim exuerit ac dimiserit, discalceatus incedito! et similes. Iam si materfamiliae aut adulti liberi mel non tantum attrectaverint, sed etiam insumserint, non continuo vapulant: non enim tenentur lege; sed pueri vapulant si tetigerint: illis enim data est lex. Taurus si totum armentum ineat et impleat, laudi est. Herus tauri, si unam modo praeter uxorem cognoscat, reus fit adulterii. Causa est, quia huic lex est posita: Ne adulterium admittas! illum nulla lex coërcet. Ut breviter, verissime, sicut omnia, Paulus summam huius fundamenti pronuntiaverit: Ubi non est lex ibi non est praevaricatio. Deo velut patrifamiliae non est posita lex; idcirco nec peccat, dum hoc ipsum agit in homine quod homini peccatum est, sibi vero non est. Quum igitur, ut ad propositum regrediar, angelus et homo deo creandi essent, ut veritatem ac iustitiam eius contemplarentur, necesse habuerunt ut esset mendacium et iniustitia. Bono igitur angelorum et hominum factus est uterque ad istum modum, ut labi posset. Lapsu enim angeli perfidia et mendacium emerserunt; hominis lapsu peccatum et iniustitia. At ista velut indices veritatis ac fidei, innocentiae et iustitiae, vultum utrique ordini demonstrant. Creando itaque hominem deus ut labi posset, bonitatem suam manifestavit: lapsu enim divinae iustitiae splendor illuxit. Quo iterum obiter adparet, miseros gloriam dei praedicare: quum enim exempla sint iustitiae illius: quomodo illi maius aliquid possunt tribuere? Huius sententiae testes habemus non iam homines aut angelos, de quibus iam est dictum, sed reliqua etiam animantia. Sunt enim universa aut mitia et mansueta, aut fera et crudelia. Tigris et crocodilus perinde maiestatem dei praedicant atque bos et ovis. Ut enim ista bonitatem eius commendant: sic illa iustitiam; non quasi ingenium illorum quicquam agat quod iustitiae sit conforme aut analogum, sed quod iniuriam et vim resipit quicquid faciunt. Crudeliter discerpunt, non vivunt iusto labore sed rapina; non populantur aperto aut aequo marte, sed insidiis ac veluti perfidia circumveniunt. Quod illorum ingenium an non scelestissimis hominibus execrabile est? Quam vero ob causam? Ob crudelitatem, violentiam et iniustitiam nimirum. Testimonium ergo iustitiae dant iniustissimi quoque, quum quod sibi permittunt caedes, furta, populationes, rapinas, incendia, direptiones, insidias, perfidiam, in fera bellua damnant, quae in hoc creata est ut ex rapto vivat: sic enim vel nequissimi in sese hominibus admonentur corrigere, quod in belua detestantur. Quum ergo ista iniustitiam ingenio suo ante oculos ponant, non minus commendant dei iustitiam quum iniustitiam adumbrant, sine qua iustitiae vultus ne agnoscitur quidem, quam iumenta quae bonitatem depraedicant. Ut sic cunctae creaturae ad duas species redactae, istas videlicet, quae aut prosunt aut nocent homini, ex aequo iustitiam dei collaudent et benignitatem. Patet igitur dei bonitatem enituisse, non cessasse, quum sic creaverit hominem ut labi posset: hac enim via in cognitionem divinae iustitiae venit. Secundo autem prodidit sese bonitas medendo. Quum enim lapsum posset, quacumque illi placuisset, ratione

restituere: nullam sequi maluit quam qua ipsa redemtor fieret hominis, qui auctor fuerat. Ut in redimendo non minor esset bonitas et iustitia quam fuerat in creando. Creando adparuit bonitas, quum in hoc creatus homo, ut deo fruatur, in hoc incidit, in iniustitiam, ut iustitiam agnosceret. Sic bonitas quoque in redimendo adparet, quum gratis liberat qui liberaliter creaverat, et in hoc liberat ut liber factus homo deo fruatur. Quum iustus iniustos redimit, ut redemtus agnoscat unum ac solum iustum esse deum, et videat quanta res sit peccatum et iniustitia, tanta videlicet quanto eam expiari oportuit; at quum dei filio sit nostra iniustitia redemta: constet, nihil tam esse contrarium deo quam peccare, et e diverso nihil tam gratum esse quam iustitiae et innocentiae studium. Hactenus de eo, quod non sit periclitata divina bonitas, quum hominem eum creaverit quem scivit esse lapsurum. Nunc de eo quod neque sapientia sit lapsa, quasi aliter exiverit homo quam illa constituerit. Dicimus ergo, quae antea dicta sunt ad hanc quoque partem facere. Nam sapientiae est viam invenire, qua quid in lucem des; unde et hoc sapientiae est homini iter ad iustitiae cognitionem praeparare. Deinde, sapientiam alucinatam non esse, hinc patet, quod hominis redemtio non est posterius constituta quam creatio. Aeterna enim esse oportet quaecunque numen habet. Sed sapientiam habet; ergo aeterna est. Aeque igitur ab aeterno est constituta redemtio atque creatio. At redemtio constitui non potuit, ni sapientia vidisset fore ut laberetur homo. Quis enim medelam destinat morbo quem ignorat? Nescire itaque non potuit divina sapientia, hominem lapsurum esse cui remedium providit. Et recens ac novum quum numen nullatenus admittat: constat, et redemtionem ab aeterno constitutam esse et sapientiam porro inspexisse morbum, qui redemtionis medela indigeret. Non est igitur, si proprie cuique sua tribuas, inscitiae opus homo sed sapientiae, quae ut omnia novit ita omnium quoque cursum novit et finem a carcere ad metam. Quapropter non debemus in illam inquirere cur sic fecerit hominem, aut rem quamcunque; sed sic reputare: Quandoquidem sic factus est homo, sapientissime factum oportet. Quemadmodum ne astrorum quidem rationem cur sic facta sint aut cur iter hoc suum servent, requirimus; sed quum diutina observatione mensuram illorum ac efficaciam deprehendimus, ea testamur sapienter esse facta. Sic deum exigere propter facturam hominis imperiosum, imo procax et rebelle est; sed ex hominis consideratione divinam admirari sapientiam pium est et sanctum. Quis enim humanae creationis et redemtionis causas vel cogitavit, nedum vidit antequam fieret? Porro quum creatum et redemtum videmus, iam verecunde factum contemplantes non satis possumus collaudare in omnibus sapientiam, bonitatem, virtutem ac providentiam. Suspiciendum est nobis numen, non exigendum aut rerum gestarum rationem postulandum. Contemplandae sunt illius facturae et cum gratulatione admirandae in illis tum sapientia tum virtus, non censendae, corrigendae aut loco movendae. Nihil enim ab isto bono fieri potest quod ad eum usum, ad quem factum est, non sit absolutum, perfectum ac integrum: nihil enim non videt etiam priusquam fiat; nihil non ordinat quo pacto fieri et operari debeat; nihil delibærat aut constituit

quod non firmum permaneat. Quod iam clarius fiet, quum electionem ex Apostoli verbis tractabimus, quae omnibus iam dictis testimonium ac robur adferent.

CAPUT VI.

DE ELECTIONE QUAM THEOLOGI PRAEDESTINATIONEM VOCANT: QUOD FIRMA SIT ET IMMUTABILIS QUODQUE FONS EIUS SIT BONITAS ET SAPIENTIA.

Quod ista tam fuse tractamus, non temere, sed huius causa facimus, quo manifestum fiat, non solum iustitiam praedestinationis fontem esse, in qua sententia fere theologi fuerunt, sed bonitatem; et quod providentiam isto pacto agnoscere non defendit sceleratos, quomodo Chrysostomus queritur, sed damnat. Id autem, ut superiorum veluti brevem epilogum sequentium faciam exordium hoc modo: Deus omnium sciens, omnium potens ac bonus est. Hinc illum nihil latet, nihil illius imperium ac iussum declinat, nihilque non bonum est quod ipse facit. Hominem quum creaturus erat, intellectuale animal, ut ipso cognito frueretur: vidit quomodo iustitiae suae cognitionem docendus esset, vidit quomodo casurus esset, vidit quomodo casus ille oculos esset aperturus, ut uno ferme intuitu et iustitiam dei agnosceret et suam iniustitiam. Protinus enim ut contra legis praescriptum venerat, vocem adpellantis dei reverebatur, utpote iusti quem offendisset. Quod quidem quum praevidisset deus neque cavisset, bonitatis erat, non pravitatis aut inscitiae. Nam iustitiam in illo non cognovisse, summa illius dotem et optimam ingenii illius partem est ignoravisse. At illa quidnam esset, ni esset contraria iniustitia, quum ostendi non posset: suo bono, quo scilicet in cognitionem iustitiae veniret, lapsus est homo. Talem enim esse oportebat hominem ut, quum ex animo et corpore constaret, animo divina et coelestia contemplaretur, corpore cum beluis victitaret. Et ne spiritus, si contumax caro sine legis metu et ferretur et rebellaret, ad beluas deficeret ac degeneraret, lex est custos adhibita, cui spiritus perpetuo consentit eiusque partes sequitur, caro perpetuo resistit et insidiatur. Haec omnia bono hominis sic facta sunt: eum enim inter ceteras creaturas huiusmodi esse oportebat ut coeleste animal esset, quale alias nullum est. Ex quibus aperte colligimus, bonitatem harum rerum fontem esse, veluti genus ad iustitiam et benignitatem sive misericordiam, non iustitiam solam quatenus bonitatis species est. Sed si iustitiam veluti genus facimus sicut bonitatem, ut iustitia in se comprehendat misericordiam et benignitatem, quomodo divinae literae saepenumero utuntur, ut: In iustitia tua libera me! iam nihil moramur, iustitiam electionis et praedestinationis esse originem: eadem enim erunt bonitas et iustitia. Et quum haec videri cuiquam curiosiora aut nimis arguta possint, is considerare debet, nos hoc tantum agere, ut bonitatem resipere non minus quam iustitiam omnia dei opera circa hominem ostendamus. Quum enim homo tale animal factus est, sapienter et bene factum oportet ab eo, qui nihil quam quod bonum est facere potest; ut sic ea quae nos mala putamus bono nostro fiant. De qua re in

exemplis posterius dicemus. Secundo, ista causa tam late tractamus haec, ne Chrysostomi querimonia quenquam moveat; quasi, dum omnia divinae providentiae referamus, iniuria supplicio adficiamus sontes, et cetera, quae ille ῥητορικῶς multa queritur. Nam quum lex homini est data: semper peccat quum contra legem facit, quantumvis nec sit nec vivat nec operetur nisi in deo, ex deo et per deum. Sed quod deus operatur per hominem, homini vitio vertitur, non etiam deo. Hic enim sub lege est, ille liber legis spiritus et mens. Quumque divinam providentiam dicimus, hoc aut istud crimen fecisse quod hic aut alius patravit: iam improprie loquimur: quantum enim deus facit, non est peccatum, quia non est contra legem. Illi enim non est lex posita utpote iusto: nam iustis non ponitur lex, iuxta Pauli sententiam. Unum igitur atque idem facinus, puta adulterium aut homicidium, quantum dei est auctoris, motoris ac impulsoris, opus est, crimen non est; quantum autem hominis est, crimen ac scelus est. Ille enim lege non tenetur, hic autem lege etiam damnatur. Quod enim deus facit, libere facit, alienus ab omni adfectu noxio; igitur et absque peccato. Ut adulterium Davidis, quod ad auctorem deum pertinet, non magis deo sit peccatum, quam quum taurus totum armentum inscendit et implet. Et quum occidit eum etiam, quem per latronem aut corruptum iudicem trucidat: nonm agis peccat quam quum lupum lupo aut elephantum dnacone interficit. Sua enim sunt universa, et ipse nullo pravo adfectu erga quicquam adficitur. Unde sub lege non est, quia lege opus non habet qui adfectu nullo moveri potest. Homo autem peccat: illi enim, quod adfectibus cedit, lege opus est, quam quum praetergreditur, mulctae fit obnoxius. Idem ergo factum quod deo auctore et impulsore fit, illi honorificum est, at homini crimen ac nefas. Iure igitur plectuntur sontes, sive hic a iudice sive isthic a rege regum et domino dominantium. In legem enim peccarunt, non quasi auctores, sed quasi instrumenta, quibus deus liberius pro sua voluntate uti potest, quam paterfamiliae aquam aut bibere aut humi effundere. Quumque movet ad opus aliquod quod perficienti instrumento fraudi est, sibi tamen non est: ipse enim libere movet. Neque instrumento facit iniuriam, quum omnia sint magis sua quam cuiusque opificis sua instrumenta, quibus non facit iniuriam, si nunc limam in malleum et contra malleum in limam convertat. Movet ergo latronem ad occidendum, innocentem etiam ac imparatum ad mortem: sunt enim capilli capitis nostri numerati apud illum, quanto magis animi nostri. Hic nemo dicet: Cur occidit latrone iustum ac innocentem hominem? non enim occidit, sed vivificavit: hinc enim ad beatorum sedem transtulit. Homini semel mori constitutum est; hunc ergo nunc vocavit quum ei opportunum visum est. Nec dicet quisquam: Innocens igitur est latro: deo enim impulsore occidit. Nam contra legem peccavit. At, inquies, coactus est ad peccandum. Permitto, coactum esse; sed in hoc, ut et alter transferretur, et alter cruci adfigeretur. Hic alucinantur liberi arbitrii defensores et providentiae subinde adversarii. Consistunt enim posteaquam dixerunt: Si impulsore deo trucidavit latro, ergo iniuria plectitur; quum semper debeant pergere, quemadmodum et ipsa providentia nunquam

cessat, et dicere: Percussit latro impulsore deo in hoc, ut et percussus coelos hinc migret, aut si ille quoque perfidus est ad inferos, et latro a iudice cruci adfigatur: hoc enim agit eadem providentia. Non enim solummodo movet et impellit usque dum ille occisus est, sed ultra quoque pergit et iudicem legibus cogit, conscientiae stimulis movet, exempli crudelitate impellit, ut latronem nectat et in crucem tollat. Promta igitur est responsio, dum infinitae providentiae adversarii sic dicunt: Si in homine prorsus nullum liberum est consilium, iam fateri cogimur, divina provitentia furta, homicidia et omnia scelerum genera fieri. Sic enim providentiam, inquam, agnoscimus, ut omnia curantem atque gerentem. Sed noli consistere, posteaquam dixisti: Providentia movit latronem. Perge perge ultra, et dicito: Movit latronem ut et iudicem in latronem moveat et concitet, quo exemplum fiat et mundo innotescat scelerata mens quae hactenus latuerat. Breviter: Impulit deus ut occideret; sed aeque impellit iudicem, ut percussorem iustitiae mactet. Et qui impellit, agit sine omni criminis suspicione: non enim est sub lege. Qui vero impellitur, tam abest ut sit alienus a crimine, ut nullam fere rem gerat sine aliqua labis aspergine, quia sub lege est. His ergo praemissis ad materiam electionis accedimus. Quam primo finiemus; secundo finitionem declarabimus; postremo Pauli aliorumque testimonio confirmabimus. Est igitur electio libera divinae voluntatis de beandis constitutio. Haec definitio genus habet *constitutionem*, quam pro decreto, sententia aut etiam destinatione accipimus, quum alias consilium aut deliberationem quoque significet, quae tamen pro genere ponere non placuit, quum plerumque necessitati subiaceant. Consilium enim capitur de rebus gerendis, ubi et protinus aliqua prodit necessitas, quae capere consilium iubet quod res postulat, non quod tu maxime velis. Constitutio igitur magis convenit divinae auctoritati et maiestati, quae longa circumspicientia nihil eget. Sed quemadmodum legislatoribus ac principibus integrum est constituere ex aequi bonique ratione: sic divinae maiestati integrum est ex natura sua, quae ipsa bonitas est, constituere. Unde ad constitutionem libertatem adiecimus, ut numinis hanc constitutionem intelligamus esse liberam, non a nostra dispositione aut constitutione pendere neque nostram constitutionem sequi. Quod sic volumus intelligi. Thomae Aquinatis (modo recte meminerim eius philosophiae) de praedestinatione sententia talis fuit: Deum, quum universa videat antequam fiant, hominem praedestinare tum scilicet, quum per sapientiam viderit qualis futurus sit. Quae mihi sententia, ut olim scholas colenti placuit, ita illas deserenti et divinorum oraculorum puritati adhaerenti maxime displicuit. Credit enim, dei de nobis constitutionem sequi nostram constitutionem. Puta, posteaquam viderit sapientia quales futuri simus, hoc est qualiter habituri et quomodo constituti futuri simus, tunc tandem de nobis pronuntiare. Quod quid aliud est quam dei decretum et constitutionem par facere humani iudicis deliberationi ac decreto? Hic enim audita causa tandem pronuntiat, hac necessitate quod ante expositionem non videt quid aequi aut iniqui habeat negotium quod agitur; quocirca necesse est ut ab expositione causae

pendeat. Talem faciunt nobis deum, qui praedestinationem hoc modo sequi cognitionem perhibent. Quo deinde per imprudentiam dei bonitatem et omnipotentiam in periculum trahunt: nam quum deus ante mundi constitutionem viderit qualis futurus erat Adam, Cain aut Iudas, et non caverit quo minus quisque horum in scelus prolaberetur, bonitatis videretur esse oblitus. Si vero non potuit antevertere lapsum quem ante videbat, quum libenter voluisset: iam non sequitur virtus voluntatem, ac subinde vocatur omnipotentia in dubium. Adde quod, si destinatio sequeretur nostram dispositionem, iam aliquid ex nobis ipsis essemus aut fieremus, priusquam deus de nobis constitueret: quod vanissimum esse dudum demonstravimus. Et quamvis istud quoque me non fugiat, numinis dotes, puta, sapientiam, scientiam, prudentiam, et ceteras tales esse, ut quicquid una sit etiam altera sit (hoc enim quod numen est undique simplicissimum est, cum omnibus dotibus ac virtutibus suis): tamen est ordo quidam naturae inter ista, ut unum ante aliud natura intelligatur ab intellectu humano, qui non est natus ut omnia simul unoque inspectu videat, quemadmodum deus; et sic facile ab iis, qui Thomae sententiam tuerentur, dici posse: Etsi sapientiam vel praescientiam (ut ipsi loquuntur) sciamus re ipsa non esse priorem praedestinatione: naturam tamen et ordinem intelligendi sequentes sapientiam praedestinationis fundamentum facimus. Quum, inquam, sic dicunt, iam verbis rixam quaerunt quum disceptant, natura, hoc est pro nostro captu, sapientiam praedestinare postquam nostra prospexerit; re autem vera hunc ordinem non esse. Nam et nos, imo Paulus ipse potius et nos cum Paulo, in hac sententia sumus, ut praedestinatio libera sit, citra omnem respectum bene aut male factorum, de nobis dei constitutio: de quo paulo post, quum ad testimonia ventum erit.

Iam ut ad aliam definitionis partem veniamus, constitutio ista voluntatis est opus, tanquam praecipuae causae, non sapientiae. Quamvis divina voluntas nunquam caeca feratur sine sapientia, quomodo hominis voluntas nunquam non adfectibus caecata sequitur et quaerit, quae mens et intellectus dissuadet. Nam in dei dotibus nullum est dissidium. Simplex est numen; nihil ergo potest ab illo fieri ad quod universae dotes non ex aequo concurrant: nam et illae utcunque pro nostro captu distinguantur, una tamen simplex et indivisa res sunt. Verum tamen alii doti tribuitur quid quod omnium est; et item alii, non secus quam personis quoque sua quaedam tribuuntur, quae omnium trium sunt. Ut sapientiae tribuitur hominis et totius mundi opificium, quum providentia et voluntas non minus in consiliis fuerint quam sapientia. Providentiae tribuitur cura et prospicientia, quum sapientia et voluntas nihil minus quam providentia haec agant. Voluntati tribuitur ad beatam vitam electio et praedestinatio, quum aeque concurrant sapientia et providentia. Sed interim tamen suum cuique opus refertur, quo et numinis dotes nobis fiant perspectiores, et opera quae ab illo sunt notiora. Nonne enim totius mundi creatione et sapientia illius proditur et ipsa deinde cunctarum rerum factura admirabilior fit; quum ab infinita sapientia factas esse videmus? quamvis simul opitulatae sint bonitas, aequitas, iustitia, virtus, prospicientia, propensio sive voluntas; sed

illa velut hera nomen sibi operis vendicat. Hae autem et si sic ancillatae sunt ut nihil minus laboris et operae fecerint quam ipsa hera: gloriam tamen conditi mundi auferre nequeunt, ea maxime causa, quod sapientia ad huiusmodi opus prima requiritur. Sic in destinandis ad salutem hominibus voluntas divina prima vis est; ancillantur autem sapientia, bonitas, iustitia et ceterae dotes, quo fit ut voluntati referatur, non sapientiae (sic enim videretur dei donum et constitutio illius a nostris factis pendere, quomodo praediximus); non iustitiae (sic enim iterum iustitiae operum esset felicitas aeterna), non liberalitatis divinae. Et sic per singulas dotes, quocunque te vertas, voluntatis, tanquam hac parte principalis herae, electionis est opus. Postrema definitionis pars est: De his qui beati faciundi sunt. Ut sic electio iis tantum tribuatur qui beati futuri sunt, et qui miseri futuri sunt non dicantur eligi; quamvis et de illis constituat divina voluntas, sed ad repellendum, abiiciendum et repudiandum, quo iustitiae exempla fiant. Est igitur electio libera, sed non caeca, divinae voluntatis, sed non solius quantumvis praecipuae causae, constitutio cum maiestate et auctoritate, de beandis, non de damnandis.

Nunc ad scripturae testimonia imus, quibus non iam, quae ad electionis definitionem pertinent, firmantur, sed totum quoque providentiae negotium sub oculos ponitur. Miseror, inquit Exod. 33: 19. dominus ad Mosen, quem voluero; et benignus sum ei cui voluero. Tantum enim possunt in Latina lingua schematismi Hebraici isti: Miserebor cui misericors ero; et beneficio prosequar quem beneficio prosequar. Quamvis Hebraica locutio vehementior esse videatur quam Latina. Quid enim aliud est dicere: Miserebor quem miserebor, quam dominantium more definire ac pronuntiare: Misericordiam impartior pro meo placito, non pro implorantium precibus, aut eiulantium miseria, sed pro electionis munere et gratia? nam opem implorant etiam impii nonnunquam. Quae sententia lucidius capietur, quum domini ipsius verba perpenderimus, qui Mosen ut animasset: Ego, inquit, indurabo cor Pharaonis, ut prodigia atque ostenta mea multiplicem in Aegyptum. Et non parebit vobis Pharao. Exod. 7: 3, 4. 9: 17. Atque ea verba saepenumero repetivit, non hyperbolicῶς comminando, ut quidam autumant, sed vere monendo ac praedicendo homini arcanum suae constitutionis, qua decreverat Pharaonis repudiationem ac damnationem contumacia et perfidia eius mundo patefacere, quam ille apud se constituerat antequam mundum crearet. Addit enim dominus, et dicit: Ad hoc enim servavi aut firmavi te, ut virtutem meam tibi notam faciam, et ut nomen meum celebretur per universam terram. Quibus manifeste datur intelligi, quod dominus huiuscemodi exemplis audaciae et pervicaciae mundo et potentiam et iustitiam suam ostendit. Quum enim indurat ut reluctentur: indubitatum est, quin non ob aliam causam hoc faciat, quam ut eos exempla iustitiae mundo proponat. Constat igitur e diverso, quod quum Mosen populi ducem et Davidem regem facit; quum latronem in furca expirantem et Petrum non tantum in periculo deserentem, sed etiam procaciter abiurantem, miseretur: quod inquam exempla bonitatis suae prodit. Quo et divus Paulus spectans: Que

vult, inquit, miseretur, et quem vult indurat. Quibus ille verbis quid aliud quam liberae voluntatis opus esse electionem et repudiationem ostendit? Probant ergo haec prima scripturae testimonia electionis a nobis definitae secundam partem, videlicet voluntatis opus esse eligendi constitutionem. Loquitur idem Paulus eodem loci his quoque verbis: Rebecca quum uterum gereret ex patre nostro Isaaco, gemellique nondum essent editi (tam abest ut quicquam vel boni vel mali fecissent, quo scilicet inviolatum electionis divinae maneat propositum, quae non venit ex operibus, sed vocantis est): dictum est ei, maiorem serviturum esse minori etc. His Pauli verbis primum omnis controversia de merito nostrorum operum tollitur. Secundo confutatur Thomistarum sententia, qua crediderunt electionem tunc tandem decerni a deo, quum vidisset quales futuri sint homines. Aperte enim dicit, tam abesse ut electio nostram constitutionem spectet aut dispositionem, ut gemini Rebeccae electi sint antequam editi; imo antequam concepti, imo antequam mundus conderetur, dei inviolabili proposito electi sunt. Deinde dicit aeque aperte, electionem non venire ex operibus, sed vocantis esse. Quibus primo intelligimus, liberam esse constitutionem, a nullo respectu vel causa secunda pendentem, quae altera est definitionis pars. Secundo videmus operum nostrorum meritum everti. Aut enim gratuitam electionem cadere oportet aut meritum nostrum. Nam si felicitas operibus comparatur, iam non donatur gratis; si gratis donatur, iam non est merces operis, quomodo idem Paulus Rom. 11: 6. manifeste disserit. Quum vero nihilo secius divinae literae toties promittant operibus nostris felicitatem pro mercede: fit ut parum exercitati in contentionis incommodum incidant. Hinc bellum istud de libero arbitrio deque merito, quod olim natum etiamnunc durat; dum altera pars propendere videt providentiam ac liberam et gratuitam electionem dei; altera liberum consilium ac operum mercedem autumat. Quod malum omne confestim, ut sese in contemplationem numinis velut in tutissimam arcem religionis recepissent, propellerent. Summum bonum est numen. Quaecunque sunt, ex illo sunt, atque ut ex illo sunt sic illius egent virtute ut sint et consistant. Contra numen nullius ope indiget, suopte robore consistit, bonitate naturali frui se gaudet quaecunque sunt, omnibus bene cupit, omnibus prospicit, omnium intellectuum lux est, imo solus fons intellectuum. Quo fit, ut quicquid vivere, intelligere, operari videamus, in illo vivat, intelligat, operetur. Quo ergo pacto nobis quicquam ferremus acceptum, qui ne sumus quidem; tam abest ut vivamus aut operemur citra ipsum? Quum ergo sua virtute nihil sit aut existat, nihil vivat aut operetur, nihil intelligat aut deliberet, sed omnia ista praesens numinis virtus gerat: quomodo libera esset humana consultatio? Esse et vivere haud dubie antecedunt intelligendi et potentiam et operationem. Illa ergo quum ex solo numine pendere, gentium quoque poëtae agnoscant: quae malum ratio quod verae pietatis cultores non huc attollunt animum, ut videant omnem omnium facultatum ac potentiarum actionem et operationem ex eodem fonte esse, unde universa scaturiunt? Quod autem adhuc divinae scripturae operum nostrorum pretia indicant, non est ut nos offendat, quum dudum audiverimus, benignitate numinis

non secus quam inter humana fieri, ut instrumento acceptum feratur, quod vere auctoris et artificis est. Sic remissio peccatorum, ut diximus, apostolis illam modo praedicantibus tribuitur, quum solus deus et admissa condonet et spiritu suo de indulta venia conscientiam certam reddat. Sic rebus externis, puta sacramentis et symbolis, tribuitur quod dare nisi divina virtus nihil potest. Baptismo, qui Christiani exercitus prima tessera et auctoramentum est, tribuitur criminum ablutio; quum solo Christi sanguine expiatio, gratia vero eius benignitate facta sit. Eucharistiae tribuitur ipsa expiatio, quum illa tunc solum facta sit quum Christus deus et homo pro humana natura mactaretur; in eucharistia vero nihil quam huius expiationis memoria et gratiarum actio fiat. In qua tametsi divinae bonitatis munera et largitiones collaudantur, non tamen virtute symbolorum adferuntur; nisi quantum et symbola et praedicationis verbum ista nuntiant. Solus enim spiritus est, qui mentem ad hunc fontem trahat quo reficiuntur et iuvenescunt animi qui peccatorum desperatione contabuerant. Alias enim si vel actio huius aliquid adferre posset: restitutus fuisset sibi Iudas, ut non abiisset contemto sociorum contubernio ad prodendum ducem suum. Imo illi ipsi carnifices, qui Christum in crucem aut egerunt aut suspensum criminati sunt, mutata sententia sceleratas manus ab illo abstinuissent, si externae res aut fidem aut peccatorum remissionem adferrent. Ipsi enim hoc non iam symbolis significari, sed ante oculos geri videbant, quo peccata totius mundi expiabantur. Sed huius nihil factum est. Soli enim isti poenitentiam egerunt, quos spiritus intrinsecus illustrabat ut hunc esse salvatorem cognoscerent, et pater trahebat ut ad illum venirent et amplecterentur. Ut porro externa nihil possint quam nuntiare et significare (quibus dum exercetur fides, nimirum ea exercetur quae prius adfuit); fides autem divini spiritus donum quum sit: iam constat spiritum esse operatum antequam externa et symbolica gerantur. Adhuc tamen et Christus ipse non dedignatur panem qui signum tantum est corporis sui (ut Augustini verbis utar) corpus suum adpellare. Et divini homines, ἀρχηγὸν suum imitati, eucharistiam omne hoc faciunt, pro quo in celebri ista collaudatione gratias agimus. Adpellant eam corpus Domini, quod in ea commemoratur Christum pro nobis carnem et adsumsisse et morti obtulisse; adpellant eam remissionem peccatorum, quod pro redemtis Christi morte peccatis gratias agimus; adpellant animorum cibum, quod is qui solus est spei nostrae indubitatum pignus in ea canitur. Non quasi panis ipse naturalis sit naturale corpus Christi, aut perfectus vel manducatus peccati venenum diluat; aut quasi animum vel panis naturalis vel corpus Christi naturale queat pascere; sed quod divina bonitas nobis tam suavis et familiaris est, ut sensui quoque nostro rerum internarum ac spiritualium umbras quasdam ac species exhibeat, quas idcirco eisdem nominibus quibus res ipsae adpellantur dignatur, quod rerum verarum sacramenta sunt et significationes. Hinc quoque est ut divini patres sacramenta constare dixerint ex duobus, ex signo et re, sive ex visibili et invisibili, sive ex sensibili et spirituali. Non quasi, ut eucharistiam iterum ad exemplum vocemus, panis coenae simul signum sit et res — panis scilicet atque corpus Christi naturale; quemadmodum rudes verae

tum pietatis tum eruditionis opinantur. Sed quod panis signum sit, res autem ipsa Christus vere pro nobis traditus et oblatio factus, quae quidem res nunciatur, praedicatur et creditur ab his scilicet qui dominicam coenam agunt. Attamen huius rei panis symbolum est quod sensui offertur, res autem ipsa menti praesens est. Non quasi panis simul sit naturalis ac visibilis panis, et naturale sed invisibile corpus Christi; sed quod panis naturalis sit atque visibilis, id autem quod animos pascat, nempe quod deus filium suum nobis totum donaverit, id vero sit invisibile, veruntamen huius invisibilis rei panis signum sit. Non quasi panis simul sit sensibilis ac naturalis panis et spiritualis virtus; sed quod panis sensibilis spiritualem mentis innovationem significet; quae nisi prius facta sit, periculose accedit qui coenam celebraturus est, quum scriptum sit: Probet se ipsum homo etc. Nefas ergo non est sic *καθ᾽ ὑπεροχὴν* locutos esse *θεσπεσίυς ἄνδρας*, quum quod Christum praeceptorem suum aemulati sunt, tum quod divina beneficia nullis pigmentis pro dignitate praedicari posse viderunt. Sed nefas est nos tam stupidos esse, ut quod solius dei est rei sensibili tribuamus, et vertamus tum creatorem in creaturam, tum creaturam in creatorem. Alia res est veritatis luculenta et indubitata cognitio, quam ut verborum arte sese patiatur falli. Sic ergo non debet nos offendere quod operibus pro mercede promittitur, quae divina bonitas gratuito largitur: hoc enim non est ex rei natura, sed ex divina bonitate, quae non dedignatur nobis tribui quae ipsius solius sunt. Nostro ergo merito fertur quod divinae modo liberalitatis munere acceptum est. Quod adhuc planius fiet exemplo fidei; de qua quum disseremus una reddetur electionis et providentiae materia magis perspicua.

DE FIDE.

Fides est, inquit Apostolus, essentia rerum sperandarum et evidentia rerum invisibilium. Sic enim vertimus verbum verbo reddentes Graeca ista: *Ἔςι δὲ πίςις ἐλπιζομένων ὑπόςασις, πραγμάτων ἔλεγχος ὀ βλεπομένων.* In qua definitione *ὑπόςασιν* hac causa *essentiam* non *substantiam* vertimus, quod substantia facilius apud Latinos fit ambigua quam essentia, quemadmodum apud Graecos *ὑπόςασις*, qua olim haeretici adeo vafre abutebantur, ut Hieronymus venenum in hac voce latere diceret; quamvis a substantiae nomenclatura non abhorream. Est igitur apostoli mens, *fidem* esse rerum speratarum essentiam vel substantiam, hoc est essentialem rem animi, non frivolam aut subventaneam opinionem aut mentionem, quae nunc sic opinetur aut credat, modo vero aliter, ut quae incerta sit. Sed firmam animi atque essentialem fiduciam, qua totus quantuscunque est fidit rebus sperandis, hoc est ei rei in quam unam ac solam infallibiliter speratur. Ut *res sperandae* periphrasis sit summi numinis in quod solum recte speratur; et tamen *res sperandae* plurali numero dixerit apostolus Hebraeorum more, qui plurali numero, sicut fere Germani, utuntur ad amplificandum et augendum: אלהים enim, id est *dii*, utuntur pro uno deo, non hercle quasi plurium deorum vel opinionem cupiant inducere, sed quod linguae suae diotismo numinis vocabulum hoc modo cohonestant et amplificant.

Noluimus autem hoc modo vertere: Fides est illud firmum et essentiale animi, quo fertur in deum, in quem speratur infallibiliter, quantumvis hic sensus sit verborum. Habent enim adhuc aliam virtutem ista, ἐλπιζομένων ὑπόςασις, id est essentia rerum sperandarum, puta, quod emphatice et hunc sensum reddunt: Fides est essentiale ac firmum istud in animis nostris quod ab eo datum est, qui est spei nostrae res et expectatio. Quapropter essentiam sive rem essentialem rerum sperandarum indefinite transtulimus, ut sensus uterque comprehendi possit. Secundo vertimus *evidentiam* quae Graecis est ἔλεγχος, quae vox apud illorum auctores creberrime pro demonstratione, evidentia et certitudine ista, quae ex ratiocinatione surgit et constat, accipitur. Evidentiam ergo vertimus, quae nobis manifestam, indubitatam et apertam certitudinem significaret. Ea autem evidentia et certitudo inconcussa velut exponit superiorem definitionis partem, fidem scilicet esse rem veram et essentialem, hoc est evidentem lucem ac certitudinem animi. Postremo *rerum invisibilium* transtulimus ex πραγμάτων ὀ βλεπομένων. Quorum verborum sensum multi quo non distrahunt? Alii enim huc fere torquent ut, quamcunque tandem fabulam adferant, cui fidem habere detrectes, dicant: Credere te oportet: non enim videntur quae creduntur; quasi vero quodvis nobis mendacium, quod hypocrita finxit, obtrudatur hac definitione. Hinc tanta mentiendi licentia. Nunc de divis adferuntur historiae fictae, quas adfirmant esse credendas etiamsi omnia Chronica reclament, quoniam fides sit rerum invisibilium. Nunc miracula portentosa quidem satis illa, sed propter mendacii ruditatem et impudentiam portentosiora, quae eodem scuto protegunt credenda, quantumvis nunquam picta, dicta aut gesta sint, quoniam fides sit rerum invisibilium. Alii vero, quales sunt Sacramentarii (ii enim iure vocantur Sacramentarii, qui sacramentis tribuunt quod non habent, et a simplici in unum deum fiducia ad signorum virtutem magnificis quidem, sed fictis et ementitis promissionibus abducunt. Quapropter si quis posthac in scriptis nostris Sacramentarios inveniat, hoc hominum genus intelligat monemus, qui symbolis tribuunt ea quae solius divinae virtutis sunt, et spiritus sancti immediate operantis in animis nostris: quod sive symbola sive verbum externum tantummodo nunciant et significant), Sacramentarii, inquam, huc torquent, ut quum verborum domini morem ac virtutem aut non intelligunt aut intelligere nolunt, perhibere tamen audeant, sacramentis res ipsas vere ac naturaliter adferri virtute verborum quae ad elementum iunguntur, hunc suum errorem sic defendunt: Fides est rerum invisibilium. Gratiam in baptismo, aiunt, non vides, sed illa certo adfertur virtute verborum, ut primum dixerit minister: Ego te baptizo in nomen patris et filii et spiritus sancti. Fides enim, inquiunt, quum huius placiti confirmationem postulas, est rerum invisibilium, non attendentes, baptismum nulli dari nisi aut fidem prius sese habere fateatur si est adultus; aut promissionem habeat cuius virtute ad ecclesiam censeatur, si est infans. Ut sic omnino istud, quod Sacramentarii invisibiliter hic adferri sacramento contendunt, dudum sit allatum. Aut enim is qui fatetur fidem, habuit antequam fateretur et subinde antequam baptizaretur: professio enim antecedit mersionem; et sic adfuit fides quae

luce ac dono spiritus data est, antequam sacramento initiaretur. Aut si non habuit fidem, certe baptismo non adfertur; quoniam neque Iudas neque Simon Magus, qui perfidi erant etiam quum baptizarentur, baptismo fidem nacti sunt. Sin autem infans initiandus est: iam quum ipse fateri fidem nequeat necesse est, ut promissionem habeat quae illum intra ecclesiam numeret. Ea est: gentes, quum numinis cognitionem ac religionem adeptae sint, perinde fore de ecclesia et populo dei atque Hebraeos. Id quod nulli non vates cecinerunt, quodque Christus ipse manifestissime promittit: Venient ab ortu et occasu, et recumbent cum deo Abrahami, Isaaci et Iacobi; et: Erunt novissimi primi; et: Locabitur vinea aliis agricolis; et: Erit unus pastor et unum ovile. Quum igitur Hebraeorum infantes semper sint intra ecclesiam censi cum parentibus et promissio divina firma sit: constat infantes Christianorum non minus esse de ecclesia Christi quam parentes. Quae promissio non adfertur in baptismo, sed is cui olim facta est baptizatur, ut signo visibili testetur se esse ex eorum numero, qui per dei bonitatem vocantur populus dei. Hic certe nihil adfertur, sed quod dudum donatum est religiose agnoscitur ac symbolo auctoramentoque accepto nomen datur. Sic etiam in eucharistia labuntur inscitia, corpus Christi naturale advehi verbis istis: Hoc est corpus meum, adseverantes. Verbum, inquiunt, adfert; verbis credere oportet. Quumque obstas antinomia Christi verborum, quae alias quoque dixit: Caro non prodest quicquam; et: Posthac non ero in mundo, et ceterorum huiusmodi, hoc se telo defendunt: Fides est rerum invisibilium; haec fiunt modo quodam inedicibili et incomprehensibili. Quasi vero non quivis praestigiator atque adeo Romanus ille pontifex de quovis suo praestigio possit dicere. Id quidem fit quod promitto, sed invisibiliter ac incomprehensibiliter: Fides enim est incomprehensibilium et invisibilium. Annon tam belle defendet Rom. Pontifex, panem transsubstantiari in corpus Christi, quum eodem modo dicet: Hoc fit incomprehensibiliter et invisibiliter: fides enim est invisibilium, quam belle se tegunt Sacramentarii, quum naturale corpus Christi adferri perhibent, hoc fundamento, quod fides sit rerum invisibilium? Quae omnia omnium huiusmodi errorum incommoda hinc proveniunt, quod fidei definitionis hanc particulam: *Rerum invisibilium*, non vident Hebraicam periphrasin esse unius dei, quem et in plurali numero *res* et *invisibiles* suo amplificandi more adpellant: hoc enim perpetuo epitheton deo tribuunt ἀόρατον καὶ οὐ βλεπόμενον sicut Coloss. 1: 15. Qui est imago dei invisibilis, ἀοράτου; et ad Tim. 1: 17. Invisibili, ἀοράτῳ ac soli sapienti etc. Ex quibus deinde huiusmodi periphrases nascuntur, ut res invisibiles pro deo rerum omnium creatore, et res visibiles pro creaturis accipiantur. Sicut Ro. 1: 20. Invisibilia enim illius a mundi conditione in operibus considerata perspiciuntur, sempiterna videlicet illius virtus atque deitas; et Cor. 2, 4: 18. Illa enim brevis angustia nostra perpetuum et ingens pondus gloriae nobis comparat, dummodo non spectamus visibilia, sed invisibilia. Quae enim videntur momentanea sunt; invisibilia, μὴ βλεπόμενα, vero sempiterna. Ubi utrobique invisibilia περιφραστικῶς pro ipso deo et omni illius virtute, quae nihil aliud nisi ille ipse est, ponitur: Invi-

sibilia enim nulla proponuntur homini spectanda quam solus deus. Sic et isto loco *res invisibiles* periphrasis est dei. Ut iam hic sit sensus definitionis fidei: Fides est res vera et constans a numine, in quod solum recte speratur, homini data, qua certe et firmiter fidit invisibili, deo. Ut porro fides sit πληροφορία, hoc est evidens, plena et firma dei cognitio et in illum spes. Hunc autem esse sensum Apostoli, tota epistola indicat, maxime tamen quod ante definitionem istam sic inquit: Accedamus cum vero corde, cum πληροφορίᾳ, hoc est cum certa, evidenti et firma fide! et quod per istam ad ferenda adversa hortatur, quodque cunctos qui in fide naufragium patiuntur excidisse portu et beatitudine adseverat; et postremo, quod Prophetae verbum: Iustus autem ex fide vivet, huc accommodat, ut iusti vitam in fide illius constitutam esse doceat; quoniam fides scilicet tam efficax, praesens ac vividum sit pharmacum, ut qui illam imbiberit salvus sit ac tutus. Quum ergo fides ea lux et securitas animi sit, qua scit se agnoscere unum illum ac verum deum, unum illum salutem suam et copiae cornu esse; eundem quoque tam divitem esse, ut omnia possit et habeat; deinde tam benignum ac liberalem, ut volens det et dare gaudeat: (in hoc enim tradidit filium suum nobis, ut opum illius fieremus participes) — quum, inquam, fides ea lux et pastus animi sit: confieri aliud non potest quin fides iusto, hoc est, ad hunc modum fidenti ac securo de bonitate et hereditate dei, vita sit ac robur, quo se devotum tuetur ab omni adversitate. At ea vis non est ab ipso homine (sic enim quisque vellet quam grandissimam habere fidem), quum non omnium sit fides; sed a solo deo est: ipsam enim Paulus spiritui sancto refert acceptam. Qui enim terreni sunt, terrena sentiunt; qui autem superne sunt regenerati, coelestia sentiunt. Hominem ergo sibi permittas! unde fidem comparabit aut adsciscet, quum terrena tantum cogitet et quaerat? Dei ergo solius donum est.

Quum igitur fides dei donum sit (nemo enim venit ad Christum nisi quem pater traxerit): qui fit ut salus a peccatis et aeterna felicitas tot scripturae locis fidei tribuatur? Si enim et fides donum est, et peccatorum gratia fidei tribuitur: iam dono tribuitur donum. Ut ergo in viam regrediamur, scrutari debemus quibusnam detur fides: iam enim collegimus dei liberale munus esse. Fides itaque iis datur, qui ad vitam aeternam electi et ordinati sunt; sic tamen ut electio antecedat, et fides velut symbolum electionem sequatur. Sic enim habet Paulus Rom. 8:29. Quos praefinivit sive ordinavit, eos et vocavit; quos autem vocavit, eos et iustificavit sive absolvit; quos autem iustificavit, hos et gloria ditavit. Quae Pauli sententia mirabilem nostro argumento lucem adfert: vult enim ostendere, definitionem et constitutionem dei originem et causam esse, cur aeterna gloria donemur; ea definitio sive ordinatio ubi decreta sit: iam vocari hominem a deo, non generali ista vocatione modo, quae externam apostolorum praedicationem significat, sed ea etiam, qua spiritus electis aurem vellicat, ut deo auscultare quid iubeat aut promittat cupiant. Quos autem sic vocat, eos et iustificat sive a peccatis absolvit: sic enim *iustificandi* verbo pro *absolvendi* utuntur Hebraei. Nunc ergo quae alia est iustificatio nisi fidei? in hoc enim

et Christus et apostoli omnem doctrinae commeatum insumunt ut obtineant, nullam aliam esse absolutionem sive iustificationem quam fidei. Qui autem fidem habent, heredes sunt sempiternae gloriae. Quibus omnibus id discitur: eis qui electi sunt dari fidem. Et qui fidem habent, *iusti* hoc est *absoluti* sunt, ut nihil ipsos damnationis maneat. Non quasi fides velut opus sit cui debeatur peccatorum venia; sed quod qui fidem habent in deum sciunt citra omnem ambiguitatem, deum sibi esse per filium suum reconciliatum et peccati chirographum sublatum: solum enim peccatum est quod nos ab adeunda hereditate excludit et abdicat. Isto sublato non aliter in gratiam redimus cum deo, quam quum intervallo aut aggere sublato aquae confluunt. Quum igitur humana mens sic est a deo docta, ut sciat filium illius victimam pro nostris sceleribus esse factum: sic quoque est illecta divinae bonitatis gustu, ut uno isto ac solo fidat, quod peccati venenatam vim exterserit; et postremo sic est in unum ac solum erecta, ut pro illo vivere aut mori aeque parata sit. Iam nihil est quod humanam mentem possit damnare. Ut ut enim damnet Romanus pontifex: mox prosiliet fidei certa scientia et propugnabit hoc telo: Deum scis tuum esse: filius enim eius pignus est reconciliatae bonitatis eius ac iustitiae. Quod ergo nunc iste adcusat, calumnia est. Quis enim adcusabit electum? praesertim quum is qui adcusatur scit, quo foedere ac fide obnoxium habeat deum. Adcuset peccatum, quod nobis tam familiare omnibus est, ut si nos ab eo alienos esse iactemus, vani simus: protinus defendet fidei lux, peccatum negans tale esse ut illius causa benignitatem suam neget deus; si modo ingenue fateamur deliquisse et facti pudeat. Totius enim mundi scelera deterrere illum non potuerunt, quo minus filium suum ad aram traheret ad perlitandum. Adcuset daemon: procurret omni robore suo fides, atque hostem non modo repellet, sed etiam in fugam sic convertet, ut quotiescunque septem nequiorum sese auxilio stipatus redeat expugnare tamen nequeat: domino enim fidit qui vere fidelis est, nec metuit quid sibi caro universa factura sit. Qui ergo sic est fidei scuto tectus, scit se esse dei electum illo ipso fidei fundamento et securitate. Atque hic est arrhabo spiritus quo sibi mentes nostras devincit, ut unum adamemus, unum suspiciamus, uno fidamus. Hic est panis ille, quem qui manducabit non esuriet aut sitiet. Haec est aqua, quam qui bibet aeterno refectus et respiratus erit. Et qui hanc certitudinem non sic habet ut etiam sentiat illam in animi sui venis intrepidam et inconcussam stare, imo cuivis adversae fortitudini insultare quoque: is quotidie oret: Adveniat regnum tuum; et: Domine auge nobis fidem! Certi enim sunt qui hanc fidei lucem et virtutem habent, quod neque fata neque vita thesaurum sibi istum possint adimere, quem distractis omnibus compararverunt. Hi ergo sic electi sunt, ut non soli deo nota sit ipsorum electio, sed illis ipsis quoque qui electi sunt. Sequitur nunc aliud testimonium, quo discimus solis electis fidem dari, quod huc faciet ne credamus hoc esse fidem quod quidam simulant, dum fatentur rebus integris deum, sed quum ingruit tentatio deficiunt ac produnt. In Apostolorum Actis 13: 48. sic est scriptum: Et crediderunt, quotquot erant ordinati ad vitam aeternam. En, qui ad vitam beatam destinati

et ordinati erant, crediderunt! Constat igitur eos qui credunt scire se esse electos: qui enim credunt electi sunt. Antecedit igitur electio fidem. Quo fit ut, qui electi sunt et ad fidei cognitionem non veniunt, quomodo infantes nihilo minus aeternam beatitudinem adipiscantur: electio enim est, quae beatos facit, eaque usque adeo libera, ut nullius operis aut virtutis nostrae ratio habeatur, ut superius satis solide puto firmavimus. Fit etiam, ut quicunque fidei rationem audiunt sed non capiunt, destinati sint et ordinati ad aeterna supplicia. Qui enim praedicantibus apostolis credebant, erant ad vitam aeternam ordinati. Contra vero, qui non crediderit, inquit Christus ipse, praedicato auditoque Evangelio (praecessit enim: Praedicate Evangelion omni creaturae!) is omnino damnatus est, et huius rei perinde certum signum est incredulitas, atque fides electionis signum est. Proinde, ut obiter dicam, paulo circumspectius sunt divina oracula[1] inspicienda, quae synecdochice loquuntur de credentibus, quod scilicet soli salvi fiant: hi enim soli hac lege continentur, qui et audierunt et crediderunt. Similiter de incredulorum damnatione: hi enim soli intelliguntur, qui audierunt et non crediderunt. De aliis non possumus pronuntiare, quia de nullorum electione nobis constat. Quum quod Paulus praeputium si legem faciat circumcisionem fore promittat (legem enim dei ostendit scriptam in corde); tum quod Abrahamus, Isaacus et Iacobus, deipara virgo, Petrus, Paulus electi dei erant quum adhuc infantes essent, imo ante conditum mundum, et fidem non haberent. Non est igitur universale, quod qui fidem non habeat, damnetur; sed qui fidei rationem exponi audivit et in perfidia perstat ac moritur, hunc possumus fortasse inter miseros abiicere. Nam et multi non protinus ut audiverunt credunt, sed tunc tandem quum spiritu capiuntur et attrahuntur, quomodo Paulus. Idcirco de his tantum licet pronuntiare qui in perfidia perstant usque ad mortem. Quantumvis quidam aperta signa dent sive crudelitate sive libidine, quod repudiati sint a deo: attamen, quum toties redierint pessimi homines in viam, non debemus ante finem sive obitum (ut poëta ait) quemquam damnare. Et hoc modo conciliantur hi duo loci: Qui non credit, iam damnatus est; et: Si praeputium legis iusta faciat, iam praeputium illius vertitur in circumcisionem etc. et: Quum enim Gentes, quae legem non habent, natura quae legis sunt faciunt, iam sibi ipsis lex sunt, quantumvis legem non habeant: ostendunt enim opus legis cordibus suis inscriptum esse etc. Nihil enim vetat quo minus inter gentes quoque deus sibi deligat, qui revereantur ipsum, qui observent et post fata illi iungantur: libera est enim electio eius. Ego certe malim, si optio detur, Socratis aut Senecae sortem eligere, qui ut numen unum agnoverunt ita mentis puritate sategerunt illud demereri, quam aut Pontificis Romani, qui tamen se deum vel ipse indicaret, si licitator adsit; aut cuiusquam regis, imperatoris ac principis, qui hunc ficulnum deum tuetur. Illi enim ut religionem ad verbum, et quod ad sacramenta pertinet, non agnoverint: attamen, quod ad rem ipsam, aio religiosiores ac sanctiores fuisse quam omnes unquam Dominicastros et Franciscanos. Hi vero tam abest, quam diu sese non demittunt et gloriam deo reddunt, ut sancti sint, ut non iam verbi dei lapide hypocrisis

ipsorum deprehendi opus sit, sed audacia, luxus, impotentia, perfidia, crudelitas ita probant mentes illorum inanes esse numinis, ut nemo tam agrestis et crassus sit, qui non aperte hoc videat. Quocirca, quum fidei lucrum aeternae salutis tribuitur, posteriori ac veluti sigillo tribuitur quod prioris est ac instrumenti. Signum est electionis, qua vere beamur, fides. Electio ni tanquam flos praecessisset: fides nunquam esset secuta. Sic etiam operibus tribuitur meritum, quae etiamsi ex fide fiunt, quomodo Abrahami opera, non tamen merentur felicitatem, quod in Romanis et Galatis Paulus tam solide agit, ut nunc confirmatione non sit opus. Quum autem scriptura habeat: Hoc fac et vives; et: Si vis ad vitam ingredi, serva mandata: iam ista et quae huiusmodi sunt scire debemus virtute synecdoches per *ἀκόλουθον*, id est, consequentiam, esse dicta. Sicut enim fidei tribuitur iustificatio et salus, quum ea solius sint electionis et liberalitatis divinae; fides autem electionem sic sequatur, ut qui illam habeant sciant se veluti per sigillum ac pignus electos esse: sic qui fidei opera faciunt experimentum dant quum sibi ipsis, dum liberaliter et ex amore dei ac proximi, non vana gloria, operantur; tum aliis, quod deum colant, hoc est quod fidem habeant. Est enim tam certum, ubi fides est, ibi bona sequi opera, quam certum est calorem diffundere fornacem quum igni incensa est. Propterea meritum, de quo tantopere hac tempestate digladiamur, nomen est potius quam res, ut scilicet divina liberalitas dona sua meriti mercedem patiatur vocari, quo nusquam non probet se nobis tam familiarem esse, ut nobis patiatur adscribi quod suum solius est. Peccatorum gratiam tribuit apostolis, beneficia quoque miraculorum, quae nullius quam divinae virtutis esse possunt. Non ergo mirum, si recte factis veluti mercedem polliceatur, quod illius tantum amplitudo et splendor est: ipse enim non tantum movet ad operandum, sed vitam quoque non tantum tribuit, sed etiam servat. Quo humana mens efficacius ad illius amorem adspiret, quum nos sic suorum participes et heredes facit, ut non tantum ditet, sed etiam ad honores provehat, quum nostris operibus promittit quod de sua liberalitate donat. Non igitur potest vel consilium liberum vel meritum re ipsa adseri, quantumvis nomina et mentionem nemo neget inveniri in divinis libris, sed profecto non aliter, quam ut nomina sint earum rerum quae solius dei sunt propriae, et benignae ac familiares accommodationes ac veluti mutua, nobis ob id maxime data, quod omnia illius sunt et in illum omnia redeunt: nihil enim ei potest deperire; quodque pii homines hac eius communicatione magis bonitatem dei quam suam discant agnoscere. Unde manifestum fit, non esse hyperbolas ista: Capilli capitis vestri numerati sunt; ne unus quidem ex binis passeribus qui teruncio emti sunt, humi cadit sine providentia patris vestri, et similes sententiae; quemadmodum quidam nostro seculo Logodaedalus mundo persuadere conatus fuit. Sed contra ista sunt hyperochae atque hyperbolae: Si vis ad vitam ingredi, serva mandata; qui fecerit voluntatem patris mei, meus frater etc. est; et quaecunque alia promissa nostris operibus facta sunt. Non enim aliter sunt nisi per consequentiam vera, si instes. Nam faciendo non reddimur fratres Christi, sed per electionem illum cognoscendo et amplectendo. Quis enim faciat quid citra propositum

et causam? Factis ergo non paratur fides, sed opera fide. Qui enim dei voluntatem faciunt, iam factis tamquam fructibus ostendunt se deo plenos esse. Si vero rem potius quam verba expendas: huiusmodi promissa verae sunt hyperbolae, quibus divina opulentia in nos effundit ac tribuit quae eius modo sunt.

Unum hoc addam. Quum Paulus fidem ex auditu esse Romanis scribit, eodem modo viciniori et nobis notiori causae tribuit, quod solius est spiritus, non externae praedicationis, quemadmodum Sacramentarii fere contendunt. Quod tam verum est, ut non modo divinarum literarum testimoniis istis: Nemo venit ad me nisi pater meus traxerit illum; et: Alii datur fides eodem munere spiritus, atque similibus, sic esse colligatur, verum etiam usu deprehenditur; quum quotidie videmus quosdam Evangelii praedicationem audire quidem, sed nihilo magis credere. Non est igitur alia mens Pauli quam, necesse esse quantum scripturae exemplis constet, ut praedicetur verbum, quo deinde, qui incrementum dat deus, velut instrumento fidem plantet, sed sua viciniore ac propria manu. Est enim et apostoli opus a dei manu, sed medium; ipse vero tractus internus immediate operantis est spiritus. Et, summa summarum, sic omnia quae circum hominem fiunt, sive ad corpus, sive pertineant ad animum, a deo sunt, tamquam vera et sola causa, ut nec peccati opus ab alio sit quam a deo; quantumvis illi non sit peccatum, ut inter prima diximus. Quumque vicinioribus sive instrumentis sive causis quid tribuimus, non magis illorum est, si rem ipsam penitus spectes, quam agricolae suus proventus. Qui si ab illo esset: cur non ita prospiceret rebus suis, ut penuaria sua semper omnibus abundarent? cur penuriam non longissime arceret? Sed est alius qui omnia praebet, quantumvis ille manum a stiva reducere nunquam potest aut otiari. Sic quicquid agamus cogitemusque dei agentis ac omnia disponentis est.

Et ne quem vel haec de infantibus quaestio sollicitet: Quum omnes electi sint ante mundi constitutionem electi, et infantes fidelium de ecclesia sint, non esse dubium quin cum moriuntur infantes, per electionem quam firmam manere perhibet Apostolus, recipiantur in beatorum numerum: an igitur omnes dum sumus infantes electi simus necne. Loquor autem de nobis qui intra ecclesiam et nascimur et vivimus: nos enim secundum Isaacum filii sumus; gentes autem secundum Ismaëlem. Si omnes electi sumus et firma manet electio: iam, quomodocunque vivamus aut credamus posteaquam adolevimus, salvi tamen evadimus: qui enim semel est electus, semper manet electus. Sin minus, ergo qui moriuntur infantes et non sunt electi aeterno addicentur supplicio, nihil tale commeriti; quum ab originali morbo beneficio Christi sint liberi et scelus ipsi nullum admiserint. Et ut adperte capiatur quod volumus, sic exempli causa quaerimus: Iacob et Esau, quum infantes essent, uterque censebatur intra ecclesiam: nam uterque symbolo circumcisionis inauguratus erat. Quum igitur Esau repudiatus esset dei voluntate, antequam in utero conciperetur, si infans fuisset mortuus, an in beatorum numerum receptus fuisset necne? Si receptus fuisset: ergo non fuit firma repudiatio, et consequenter nec electio: Esau enim non fuerat electus, et postmodum oportuisset electum fieri. Si non fuisset relatus

inter indigetes: iam nihil profuisset intra ecclesiam censeri, aut eius tessera inauguratum esse. Et sic intra ecclesiam censeri non esset certum testimonium, nos esse filios dei. Quanquam autem haec quaestio de illarum potius esse numero videatur, quae curiosae magis videantur quam piae (quae enim a domino fiunt, prius iure et recte facta esse debemus cognoscere, quam causas cur sic fecerit exigere): veruntamen quum impium non sit, ea quae indubie cognoscis recte a domino esse facta contemplari et admirari; deinde ex eorum usu etiam causas deprehendere cur facta aut sic facta sint (nam et numen ipsum in quem usum Solem et Lunam produxerit causas adsignat): iam irreligiosum non erit iis quoque satisfacere, qui ut religione non vacant sensu tamen adeo mediocri sunt praediti ut temere offendant — non ad religionem, quae illis firma manet, etiamsi multa ignorent quae aliis in promtu sunt; sed ad lucem sive scientiam offendunt, quae in dei contemplatione non postrema pars est, quae quidem offensio etsi fidem laedere non potest, attamen intellectum crebro sollicitat. Ut enim unum ac solum numen esse credere eoque fidere omnium est qui veram religionem habent: ita quomodo aut quale sit numen, id peritorum et illustri intellectu praeditorum, imo familiarius a deo doctorum est. Sic ergo respondemus, neque Esavum neque Iacobum potuisse mori, quantumvis mortales communi lege, dum infantes essent. Aeque enim ante conditum mundum divina providentia de illorum gestis ac vita constituit atque de illorum productione ac generatione. Si enim capilli capitis nostri in numerato sunt; si divinam sapientiam nihil latere potest; si providentia nuspiam cessat; si bonitas nihil negligit aut posthabet: constat, ea quae vitam et existentiam sequuntur non minus disponi quam illas tribui. In causis enim hae duae sunt praecipuae *efficiens* et *finis*. Nihil autem a divina sapientia quum possit citra finis contemplationem fieri: iam colligitur, nihil produci ab ea, cuius finis, et ea quae ad finem usque comitantur, non sint longe ante prospecta et statuta quam producantur. Vita igitur et actio non minus sunt a divina providentia cuivis homini constitutae atque ipsa nativitas et generatio. E diverso autem et mors ac fili fatalis incisio non minus ordinata est, ac productio et vitae ratio: ea enim proprie finis est. Ex quo colligitur, nullum infantem vita defungi cuius fata non sint ab aeterno constituta; et nullam virtutem efficere posse, ut is cui terminus hic aut ille positus est eum transilire possit. Nam et anni quindecim quos auctarium dominus Ezekiae adiecit, ante mundi constitutionem repositi erant ut adiicerentur: quod enim semel constitutum est perpetuo firmum manet. Ezekiae ergo finis sic constitutus erat, ut anni sic adiicerentur et post illos tandem Atropos stamen vere incideret, quae prius incisionem tantum comminata erat. Quum igitur neque Esavus mori infans potuerit, quia dominus aliud de illo constituerat; neque filiolus ille Davidis, quem ex perfido et nequam adulterio tulerat, superstes vivere; quia dominus eum decreverat occidere: constat, dum infantes fidelium moriuntur, signum esse divinae electionis et ad gloriam beatorum vocationis: rapiuntur enim ne malitia mentes illorum vitiet, hoc est ne scelerata vita mundo quoque prodant, si repudiati essent. Qui superstites manent et contumaces ac rebelles

quemadmodum Esavus fiunt, in hoc servantur ut abiectio ipsorum ac repudiatio impia vita manifestetur. Qui vero superstites ac pii deique tuentes manent quomodo Iacobus, in hoc servantur ut recte factis illorum dei benignitas ipsorumque cooptatio patefiant. Interim vero dum intra ecclesiam infantes aut pueri censentur, neque nobis constat qualesnam futuri, et an vitales an morituri sint: idem iudicium sequimur quod de adultis, de quibus sic sentimus: esse de ecclesia, esse electos dei, quam diu enormibus ac impudentibus factis sese non produnt esse reprobos. Ut ergo inter adultos multi sunt qui reprobi quidem esse a nobis non deprehenduntur, donec perduellione id produnt; et contra multi sunt, qui etiamsi aliquamdiu scelerate vixerint in viam tamen redeant, et poenitentia vitaeque candore electos sese esse a domino ostendunt: sic in genere omnes ex Christianis parentibus (de his enim habemus apertum promissionis verbum) natos intra filiorum dei numerum complectimur. Interim vel electionem ipsorum deus aut accelerata morte aut producta diutius innocente vita, quae ex fide sic ducitur, ostendit; vel longa, sed profligata vita repudiationem ipsorum prodit. Ut sic de nullorum electione simus certiores quam de illorum infantium, qui intra pueritiam tolluntur, dum adhuc sunt sine lege. Vita enim humana nonnunquam non vere, sed in speciem innocens est; porro infantium, qui a fidelibus sunt, nulla potest esse labes. Originalis enim per Christum expiata est (nam ut in Adamo sumus omnes mortui, sic in Christo omnes sumus vitae restituti, qui scilicet vel credimus vel ex promissione de illius ecclesia sumus. Labes autem facinorum illos nulla contaminare potest: nondum enim sunt sub lege). Quum autem nulla causa disiungat a deo quam peccatum, et illi ab omni sint peccato alieni: iam constat nullos aeque tam irrefragabiliter inter electos esse sciri, quam eos infantes qui intra pueritiam fato funguntur. Defungi enim in illis electionis signum est perinde ac fides in adultis. Et qui reprobi sunt et a deo repudiati, in hoc statu innocentiae non moriuntur, sed divina providentia servantur ut repudiatio illorum criminosa vita notetur. Haec vera esse superiora omnia convincunt, nisi providentiam quis neget, quocum nobis non est res. Hactenus de homine, quomodo et ille et eius universa non minus a deo fiant, quam illa quae mente aut animo carent.

CAPUT VII.

EXEMPLORUM VIM SUPERIORA OMNIA CONFIRMARE.

Satis iam liquet deum non esse ut hominem. Huic enim saepe tam infeliciter cadunt consilia, ut dicat: Non putaram; aut: Hac non successit; alia adgrediamur! Illi nullum imprudenter capi consilium potest. Immutata igitur manent quae constituit, quia omnia praevidet, ut coeptis eius nihil queat accidere quod noceat aut impediat. Firma manent eius decreta, quia firmus ipse est et incommutabilis. Hinc colligitur, Deum qualis unquam fuit in creaturas suas hodie quoque talem esse, ut si unquam bonitate sua bonos prosecutus et iustitia pessimos insectatus sit idem hodie quoque pro voluntatis suae libertate servet. Qualis igitur in electos unquam fuit, talis nunc est; sic et in repudiatos.

Qualis principio in creaturas omnes, talis etiamnunc in omnes est. Priore igitur loco exempla proferemus, quibus res inferiores homine non fortuito ferri, sed providentia geri, demonstrabitur. Quum cataclysmus tempore Noachi sic videatur ingruisse ac inundasse, quasi natura (ut Philosophi vocant) illum invexerit. Ruptis enim coeli catarrhactis perpetuo quadraginta dierum nimbo depluisse traditur. Quod tamen nulla natura, sed auctor rerum omnium, qui vere natura et virtus universorum est, faciebat, qui non modo intumescere et alveos egredi flumina iubere potuisset et cuncta citra imbrem mergere, sed unico verbo occidere, imo in nihilum redigere, protinus ut virtutem suam retraxisset. Hoc tamen modo, puta impluvio, voluit mundo novam faciem induere. Quod ubi statuisse illum intellexerimus, iam nullo negotio videmus, sive olim constituto rerum ordine pluviam naturalem invexerit sive extra ordinem excitaverit, non temere pluisse, quum mundus mergeretur; quanto minus temere pluit quum hominum bono terra imbuitur? Ut enim demus, tunc naturaliter omnia superne ac inferne convenisse, ut tantam vim aquarum redderent: illud tamen antecessit, quod divina providentia, quum mundum conderet, praevidit ac disposuit, ut cuncta suo ordine ac tempore fierent. Nequit ergo aliter fieri quam qua ratione providentia ab aeterno ista simul constituerit, et mundum, qui pessimus erat futurus tempore Noachi, punire et cataclysmo mergere. Ex quo sequitur, sive superna eo tempore naturaliter sic fuerint constituta, ut istam aquarum vim profunderent, sive novo miraculo aquae sint deiectae, utrumque tamen ita patuisse divina providentiae, quum crearet mundum, ut vel supernorum cursum et ordinem sic temperaverit, ut tunc quum scelerati perdendi essent tantum aquae propinarent; vel supernis peculiarem cursum servantibus novo miraculo nefarios aquis strangularet. Quum orante Elia post tantum annorum curriculum pluvia redditur, nubecula non maior hominis planta prodit; ea perinde augescit ac solent nubes, deinde tam largos imbres effundit, ut omnia sibi restituantur. Quae pluvia si fortuita fuit, aut naturae virtute non providentia data: quis certum potuit Eliam reddere de illius adventu? qui tam constanter pluviam promittebat; praesertim in negotio tam arduo, in quo imbres velut testes, quod dominus qui promiserat esset deus, produxerat. Dei ergo providentia et dispositione cum coorti sint: iam nostra nihil refert, supernorum constitutione, quae hoc tempore sic coïerint, an novo miraculo sint profusi; dummodo istud sciamus, providentiam ante mundi constitutionem sic universa praevidisse et praesentia habuisse, ut hanc constellationem, quae tantam aquarum copiam redderet, sciret concursuram cum mundi malitia quam tempore Noachi aquis abstersit. Item hanc quoque imbrium vim quam post tantam siccitatem induxit. Nam sive ex ordine sive extra ordinem ista usu venerint, providentia tamen facta esse probant monitio et praedictio. Ex ordine enim, si cum hominum malitia concurrebat naturale diluvium, relucet sapientia et providentia. Si extra ordinem effusae sunt aquae, iterum deprehenduntur quum istae tum iustitia et potentia. Extra ordinem enim miracula facit deus, ne Astrologi, et qui horum similes adversus numinis monarchiam belligerant instar gigantum, perpetuo possint omnia

nescio cui naturae tribuere, sed velint nolint maiorem virtutem quam visibilia habeant agnoscere cogantur. Quum ignem coelo labi et urbes quinque subito elambere, solem in medio cursu nunc sisti, quum Iesus imperator luce ad hostium persecutionem egeret, nunc vero lucem ponere et obscurari, quum Iesus mundi salvator moriendo hostem superaret, vident. Imbres igitur isti, quibus aut diluvium aut telluris refocillatio constitit, si providentia effusi sunt: cur ullum imbrem naturali nescio cui virtuti tribuemus? an enim providentia ista, quae entelechia est, interim vigilat, interim stertit? Si vero temere illati sunt imbres: cur soli imbres temere propinantur et non omnia? Si omnia temere feruntur, sublata erit providentia, qua sublata numen quoque tollitur: si enim quidquam omnium temere fertur, iam quidque temere ferri necesse est. Si enim providentia in uno cessaret non esset providentia: universorum enim esse oportet, quia potentia numinis omnium est; et si non esset omnium, non esset numen. Quod si potentia omnium quidem esset, providentia non itidem: iam non essent pares omnes numinis dotes, et perinde numen non summe simplex. Ex quibus constat, si unus imber providentia fundatur, omnes fundi eodem fonte. Non minus ergo propinantur nunc imbres numinis ordinatione quam olim; aeque siccitates, annonae ubertas et angustia. Lationes igitur et constitutiones supernorum patet, providentia non natura, nisi *κατ᾽ ἀντονωμασίαν* naturam pro numine capias, geri. Sive enim Eliae imber olim constituto ordine supernorum datus est, non novo miraculo: providentia datum oportet, quae ante mundi creationem simul vidit et istam astrorum constitutionem et illam hominum necessitatem concursuras esse. Sive novo miraculo datus est, providentia factum est: quis enim miracula facere quam is qui omnia moderari ac regere potest? Eclipsis enim, terrae motus, ac fulmina quamvis rudi adhuc mundo pro miraculis haberentur: deprehensa tamen sunt naturaliter, hoc est supernorum constitutione, utpote viciniore et notiore causa, fieri, quae cognitio admirationem eis ademit; quum tamen non minus sola virtute numinis efficiantur, quam ea miracula quae praeter ordinem fiunt. Et eo sunt mirabiliora quo semel constitutus ordo officium suum facit ac servat in perpetuum, quam ea quae solum in horam ac pro re nata fiunt. Naturaliter itaque, hoc est ex ordine principio constituto, fusi imbres, quamvis per instrumenta nobis viciniora et notiora dari videantur, non tamen minus sunt providentiae quam cum miraculo fiunt. Dicam huius nostri temporis exemplum. In annum vicesimum quartum supra millesimum ac quingentesimum astrologi diluvium ac internecionem rerum omnium comminati fuerunt; prophetae autem etiam nunc imminere orbi, praesertim Christianorum, ultima canunt — illi dum astrorum coïtionem ac simultatem perpenderunt, hi vero impietatem et morum corruptelam, quae ubi humana invaserint, iam nulli astrologorum tam certi sunt ex arte sua annorum felicium aut infelicium, quam certi sunt prophetae divinam ultionem in manibus esse. Praeteriit annus ille et terram nobis, utcunque locis quibusdam amnes extulerit, apud Helvetios tamen multis annis

flumina non minus intumuerunt, ad habitandum ultra reliquit. Nisi quod timendum est vitiorum lernam, iustitiae publicae oppressionem, fastum, luxum et pessimam malorum omnium impudentiam diluvium longe nocentius, quam si corpora tum hominum tum iumentorum mergerentur, invectura esse; id quod prophetae multo verius quam astrologi cecinerunt. Quamvis interim utrique alteros strenue contemnant; quum contra se mutuo magis observare deberent. Astronomus quum videret astra severiter minari, mirari simul numinis sapientiam debebat, quae supernorum rationem sic a condito firmamento temperaverat, ut fatalis intemperies eadem tempestate qua conscelerata erant omnia ab illis immineret. Prophetae vero ut immodicam et procacem astrologorum divinationem iure elevant, astronomiae tamen beneficium non magis contemnere debebunt quam astra ipsa. Ut enim organa sunt per quae divina virtus sese infundit, sic eorum rationem nosse nihil aliud est nisi divinae operationis nosse rationem. Unde prophetae, quantum ipse video, aspernari astronomicen tam non debent quam ullam disciplinam. Motus ergo isti, quibus nunc quassatur mundus, nec temere nec astrorum indignatione fiunt, sed divina providentia, quae universa sic constituit, ut et prophetae divinam ultionem intentare, et astronomi futura mala praedicere possint; quae ambo dei bonitate ostenduntur, quo apertior fiat nobis via ad poenitentiam et salutem. Tam ergo abest ut astra praeter inferiorum rationem ferantur, ut a condito mundo illorum vis ac ratio ad rerum humanarum rationem temperata sit. Quod si nunc ista sic usu venisse videmus, ut astrorum vis, iuxta dei indignationem, ipsa quoque irata mortalibus visa sit, et astra nihil nisi divinae virtutis instrumenta sint: constat illa perpetuo nutui dei subiici ac regi, neque ab illis unquam quidquam esse temere. Nam si unum aliquid temere ab illis esset citra dei providentiam, eadem ratione omnia fierent temere: semel enim cessare providentiam qui arbitratur, in universum illam tollit, ut antea ostensum est. Quod si Theologi et Astrologi ex aequo considerent, nullum posthac fore inter illos dissidium speramus. Hi enim a frivola divinatione temperabunt; isti vero providentiam adserere non detrectabunt, quos astra terruerunt a providentiae adsertione, quia ipsa non ut organa divinae virtutis, quae sic a divina sapientia essent condita, ut numinis nutui semper servirent, considerabant; isti vero quum in astris ipsis steterint re inanima, nec auctorem et motorem eorum reveriti sint, audacius definierunt. Possunt itaque astronomi ex artis suae certis et indubitatis ἀξιώμασιν, hoc est dignitatibus et principiis monere, non definire; quum quod multa frivola in eam disciplinam irrepserunt, tum quod numen, astrorum animus, pro nutu suo illa regit, per illa quae vult operatur, istis quae vult dat, non quae nos volumus aut docemus eis dari. Theologi autem clarius possunt providentiam agnoscere, quum astra non quasi quoddam peculiare ac divisum a numine, sed virtutis eius organa esse considerant. Hactenus de supernorum lationibus: his enim impressiones, constellationes ut vocant, fulgura, fulmina, demissiones, elevationes, ventorum mutationes, terrae motus ac tempestates, et quicquid superne aut inferne virtute coelestium aut

supernorum geritur, comprehendi volumus, quod omnia ista quae coelitus geruntur, providentia et praesenti virtute numinis gerantur. Nec est cur sic cogitemus: astris, dei quidem iussu et ordinatione, multa geri, quae tamen non sit necessarium deum ipsum scire aut intentum esse. Quasi vero virtus ista, quae numen est, fatigari aut nimio labore fatiscere queat, ut illi parcamus, ne omnia videndo, iubendo, operando fessa Atlantem aliquem requirat, qui, donec illa respiret, oneri humeros supponat. Est enim numinis ingenium et vis ea, quae operando consistit, ab otio alienissima: ubicunque enim requiritur otium, ibi opus est respiratione; ubi respiratio quaeritur, isthic premit opus; ubi opus premit, ibi sequitur defatigatio; ubi defatigatio est, isthic est et infirmitas, quam longissime abesse a numine oportet. Non ergo vilescit divina virtus cuncta operando, inspiciendo et constituendo, sed hisce delectatur, haec amat, haec solet, hoc est: id eius ingenium requirit. Quum enim de fortuitis constet numen istorum rationem tenere, ut iam probabimus: ecquae tandem erunt a quibus possit abhorrere?

Fortuitorum nomen a vera religione abhorret: forte enim fortuna nihil fieri potest si omnia providentia geruntur. Porro quae sic fieri creduntur, quum ostenderimus a numine data opera fieri, spes erit, etsi nomen fortuitorum, sive ut neoterici locuti sunt contingentium, maneat: re tamen ipsa patefieri dei opus esse, quae fortunae aut casui referuntur. Id autem sic adgrediemur, ut primum earum rerum exempla producamus quae circa res aut inanimas aut intellectu carentes facta sunt; ubi tamen manifesta numinis opera et cura deprehenditur. Secundo vero ista quae circa hominem. Quum prophetae discipuli securicula in flumen e manubrio delapsa esset, casus nimirum fuit. Sed quum propheta praeceptor lignum ad revocandum ferrum demittit et illud obediens ex imo renatat: miraculi tum novitate tum magnitudine deprehenditur, in hoc excidisse ferrum ut et prophetae sanctitas et cum deo familiaritas patefieret.

Errantes asinae, ad quas indagandas Saulus paterna domo abierat, satis ostendunt eas dei ordinatione abductas esse quum filius asinas quaerit et regnum reperit quod non quaesierat; pater vero non tantum quas sollicitus desiderabat asinas, sed filium quoque regem quod nunquam cogitaverat recipit. Asina, quae cum pullo ad paupertinorum usum in bivio prostabat, huc acta credetur temere, quum rex regum et dominus dominantium eam inscenderit secundum vatum carmina Hierosolyma intraturus? Funium fragmenta, quae Christus in templo temere collecta in flagrum concinnavit, num temere iacuisse autumabimus, quum his foeneratores aede sacra expulerit? Ficus, quae vel natura vel pariendo effeta sterilis nihil quam cum foliis stabat, fortuito sata ante tot annos putabitur, quum eam tanta indignatione ad perpetuum hypocriseos detestationis exemplum execretur Christus? Pisces certe non temere tota nocte a verriculo Simonis abhorruerant, quum deinde Christo adveniente ac spem resumere iubente catervatim sese ingerunt: adparatus enim erat ad miraculi magnitudinem, quo tantam vim piscium capiebant. Temere non aderant quinque panes hordeacei et duo pisces, nec favus mellis

cum reposita piscis assi parte, quum utrobique miraculum quod sequebatur providentiam testetur. Sed fastidium prius copia testimoniorum inveniam quam inopia convincar: adeo plena sunt omnia exemplis. Taceo enim aperta scripturae testimonia, ut nusquam non videamus providentia fieri ac disponi quae nos fortuito perhibemus ferri. Ad ea igitur exempla quae circa hominem usuveniunt transimus.

Exemplum Iosephi totum huiusmodi est, ut nullo alio, aeque providentia rerum universarum adseratur. Praetexta variegata amicitur puer non temere; postea enim rectius internoscitur quum pecuino sanguine sic esset imbuta, ut exuvii a bestia lacerati speciem praeberet. Somniat; non est temere, quum et odium fratrum in se expositione irritat, et quod aliquando verum futurum erat praesagit. Incidit imprudens in fratrum scelus; non est temere. Quum enim flagitium ad parentem defert: et magnanimitatis indolem prodit et fratres ad perpetrandum quod deus constituerat accendit. In agro quum pascentes fratres invisurus est, errat et in viam reducitur; non est temere: hoc enim et alacritas pueri etiam nunc teneri manifestatur, et providentiae cura quae erranti obtulit qui iter corrigeret. Quid multa? In cisternam abiicitur, extrahitur, venditur, praetereunt Ismaëlitae. Quid horum fortuito factum est? quum aperte videamus mercatores, genus hominum non semper utile, hic ad optimos usus hac iter fecisse qua Ioseph emerent, eum hominem qui pater patriae aliquando futurus erat. Adulterii reus fit, inter captivos sordet, somniant alii quod illi liberationis occasio fit. Expositionibus suis probat, somnia quoque nunquam tam vana esse, quin ad aliquem usum a providentia ingerantur. Ut enim Physicos praetereamus qui corporum constitutionem facile ex somniis deprehendunt; praetereamus item, quum id somniorum genus quo aliquid utile vel nunciatur vel discitur, tum id quoque quo vel crapulam suam damnat gulae deditus, vel iram et libidinem qui cupiditatibus iactatur: si hoc solum de somniis auferremus, quod quum eorum meminimus deprehendimus, animam esse immortalem (quum enim ne somno quidem quiescit, sed species quasdam quomodo animalia quoque fabricatur, quas etsi plerunque vanas esse deprehendit, tamen eae species memoriae post somnium haerent, quae animalibus evanescunt: quomodo non probatur, nobis entelechiam esse, hoc est irrequietae ac infatigabilis naturae substantiam?) si hoc inquam commodi de insomniis solum reportaremus: satis esset ad probandum ne somnia quidem, leviculam rem, citra providentiam adparere. Ut ita Iosephi vita universa nihil nisi testimonium sit, providentia cuncta geri: adeo nihil est in illa, quod, suo quodque tempore, non ostensum sit dei iussu et ordinatione factum esse. Sed quum huc diverticuli egressus sim, scio non defore, qui haec nimis diluta aut etiam vana esse dicant, ob id autem maxime, quod somniorum interim tam frivolae sunt species, interim vero tam foedae, ut turpe videatur providentiam ad tam humilia detrahere. Qui sic accipiant: Quum ipsa sese providentia demiserit (quod enim ad benignitatem eius attinet, nihil illi nimium est: considera humanitatem per singula quam dei filius vere adsumsit), ut somniis res magnas nuncia-

verit: cur nos audaciae quis audeat arguere, quum ei somnia quoque referimus? praesertim quum hac in re ab uno ad omnia, a particulari ad universalem, valeat argumentatio. Sequitur enim: providentia semel deprehensa est siccitate extenuasse annonam et rursus pluvia restituisse; ergo providentiae annona semper curae est; ergo quae ad hanc curam pertinent, sive negare velit sive abunde propinare, nunquam omittit. Semel enim neglexisse providentiae quum lucem tum vim ex toto tollit; quemadmodum supra satis ostensum est. Tum deinde ex quibus insomniis nihil secutum est? etiamsi solummodo stultam narrationem somnii aut cogitationem, imo frustraneam recordationem consideramus. Qui enim vel aliis somnii vanitatem narravit, nunc serios aut noxios sermones interrupit, quo deus ad aliquid proficue utitur, quantumvis ipsi usum illum aliquando serius aliquando nunquam deprehendamus; nunc occasionem vel ipsi vel aliis alia atque alia cogitandi dedit. Vel ipse somnium repetit, ad quaedam sese vocat sive bona sive mala quae illum cogitare vult providentia. Si vero frustra requirit ac refodit somnium, ut quod evaporaverit: itidem non fit sine usu, dum se aut a noxiis avocat aut ad frivola laxat; haec enim omnia faciunt ad hominum consilia et cogitationes aut promovendas aut irritandas; consilia vero facta sequuntur. Vide quam non sint nullius momenti, quae nos quanta sint non perpendimus. Cimicum, pediculorum ac pulicum generatio, quoniam invisa sunt homini, indigna putamus divina providentia; sed si consideremus eam putredinem ex qua ista ad hoc nascuntur, ut innoxie ab illa levemur: iam videbimus hisce nihili rebus crudeles nonnunquam pestes anteverti. Caprifici tabe nati culices ficus ad maturescendum demulcent. Haec comperta sunt; ista etsi non aeque comperta tamen aeque certa sunt, quod videlicet ex putredine aut tabe nascantur, quae nisi in haec transiret plus mali daret. Sic de tineis, muscis, tabanis, vermibus, blattis, bruchis, araneis, locustis et id genus minutis animalibus sentiendum nemo dubitat, ex venenata scilicet ac nocitura, nisi in animal transiret, putredine nasci, quo illa citra damnum homo liberetur. Quum ergo illa quae extra hominem sunt eius bono sic commutantur et in puriora transeunt: quanto magis quae intra hominem fiunt, puta cogitationes, insomnia, visa, consilia, studia neglectusque non sunt praeter rem, sed semper in usum aliquem aut sumuntur aut mittuntur. Id quod nos haud sic reputamus, eo quod negligentiores nostri simus quam par sit, quamvis et hoc ipsum sit a numine; quum e diverso intelligere debeamus, pro electione aut repudiatione omnia facere hominem. Qui a deo repudiatus est, omnia consilia huc dirigit ut opes ac voluptates paret; quumque boni viri nomen aut ambit aut retinere satagit, omnia scelera sua per hypocrisin celat, aut pro virtutibus interpolando et mangonizando indicat. Huiusmodi consilia quis parvi ducet? quum operibus tanto sint potiora quanto praestantior est causa opere suo: nisi enim consilia antecedant, opera nulla sequentur. Nam si imprudenti opus aliquod exeat, non imputatur; adeo magis aestimatur consilium quam opus. Et opera reprobi ac devoti hominis geri a providentia donamus; at consilia negabimus? Nunc autem, si consilia damus, cur

non omnia quae ad consilium pertinent eodem iure daremus? Qui a deo electus est omne studium huc vertit, ut virtutem veram, non simulatam comparet, non sibi sed dei gloriae et proximi utilitati: his enim operam locat in ipsorum, non suum usum: summa enim illi voluptas est vel deo gloriam dedisse vel paravisse proximo commoditatem. Hic quicquid audit, cogitat, suscipit, dextere tractat, non terretur nee pedem refert; sed quicquid accidit, sic fieri oportere cognoscit, et his eventis ad eum finem quo tendit perveniri. Huius universa consilia, cogitationes et conatus quis a deo neget esse, qui numen in omnibus observat ac reveretur? id autem adeo ut, quum per imbecillitatem peccet, peccatum quoque suum in dei gloriam referat, quemadmodum in exemplo Davidis paulo post patebit. Nihil ergo omnium fit aut geritur, quod non praesente numinis cura et virtute fiat et geratur. Praetereo volens ac videns quum somnium quod Madianita expergefactus commilitonibus suis narrat; tum fortuitam explorabundi Gideonis ad illum appulsionem. In quibus manifesto videmus, somnium in speciem valde absurdum non temere adparuisse, et Gideonem ipsum quidem imprudentem, sed non sine dei providentia in eum locum incidisse, ubi totius rei gerendae spem apertam invenit.

Fortuito et Bethsaba lotum isse et David isthuc prospexisse videntur; sed quum tragoediae catastropham audimus, annon prae admiratione horror nos occupat? Stupraverat ille coniugem fidelissimi propugnatoris; et quum libidinem magis incendisset quam implevisset: sceleratum consilium de perdendo innoxio marito et ultionem nullam meditante capit, ut feminae aliquando consuetudine satiaretur. Succedunt omnia pro voto, ita ut propheta duobus verbis flagitii granditatem, quum nulla quantumvis locuples et fortis oratio satis amplificare posset, comprehenderet ac diceret: Rapuisti et occidisti. Tum ille ad sese rediens sic se abiecit et eo usque humiliavit, ut tantus casus omnis elationis repagulum esset usque ad fata. Electus dei erat David, et vir iuxta cor eius; bene ergo cessit illi tantum nefas. Sed quid aliud cogitasse per omnem vitam credendus est quam: Dominus deus tuus in hoc scelus te labi voluit, ut te hominem esse agnosceres. Prophetiae donum primarium dedit, robur, magnanimitatem, diadema, regnum, opes; salvatorem promisit. Haec te potuissent in transversum agere si ille voluisset; sed benignior ipse in te est quam tu ipse fuisses. Tanto crimine humiliavit, ne quid magnificentius de te praesumeres quam de homine. Sic te facit liberalitatis exemplum deus tuus, sic clementiae. Quum enim usque ad finem mundi sumus aliquos confirmaturi qui se labi videntur: exemplum veniae Davidem velut speculum aut tabulam oppandemus, in qua misericordiae domini promtitudinem ediscant. Haec igitur omnia fortuito usu venisse dicemus, ubi tanta exempla eduntur?

Addam ad superiorum confirmationem aliud exemplum. Secundo Sam. ultimo capite sic scriptum est: Iterum accendebatur dei indignatio adversus Israelem, et impulit Davidem ex eis sic dictando: I et Israëlis ac Iudae peragito censum etc. Hoc loco non potest apertior adduci

quo doceatur, non modo facta et opera, sed etiam cogitata et consilia nostra a domino suggeri et moveri, sive bona sive mala sint.

Qualis Ieroboam ab ineunte aetate fuerit, usque dum Israelem scidit et idololatriam induxit, non est ut exponam. At quantumcunque scelestus et audax esset, per prophetam Abiam tamen regno velut inauguratur, quum ille secto in duodecim partes pallio decem futuro decem tribuum regi tribueret. Quum ergo vitulos ille aureos proposuerit adorandos: cur in regnum irruere non tantum passus est deus, sed etiam iussit? Sic placuit illi. Israëlem repudiaturus erat; his ergo consiliis rem adgreditur, ut cognoscamus eius voluntate res geri, non nostro arbitrio.

Satis ergo sit tot exempla in testimonium produxisse, universa quae geruntur, sive illa fortuita sive praecepta aut deliberata vocemus, praesente dei providentia geri, sive inanimorum sint sive animatorum et intellectu ac mente praeditorum; quantumvis ista, ut puta in tam altas ignorantiae tenebras propter carnis crassam pinguedinem mersi, non perspicue videamus. Quod si quibus paulo sublimius ista contemplari datur, dii boni quanta voluptate fruuntur, quum ubique deprehendunt sapientiam et bonitatem numinis; ut iam totius mundi quantumvis pulchri contemplatio sordeat prae ista amoenitate, quae occurrit, quum in deum ascendunt et facturae universi architectona considerant. Quae enim, putas, admiratio subit piam mentem, quum (ut et huius gratiae aliquot exempla ac testimonia proferamus) iam dictum Ieroboamum considerat, qui a deo constitutus fuit ad scindendum Israelem in duo regna, et mox eum quem inauguraverat, propositis ad colendum vitulis aureis, prodit; quae res Israëlem primum, dein et Iudam pessum dedit: indignum enim facinus erat a deo vero ad idololatriam pertrahere; sed imprudens consilium dei fuisset hunc talem in thronum extollere qui defecturus erat, nisi ad hanc rem quam parabat illius perfidia statuisset abuti. Quum inquam pietas quae secuta sunt considerat: tam abest ut contra deum responsitet, ut etiam consilia illius miretur et evehat. Statuerat summa bonitas Iudaicam gentem aliquo usque abdicare et cooptare idolis deditas gentes. Ruinam ergo istam quam in Israelem missurus erat per Ieroboamum *παρασκευάζεται*. Hinc enim labi coepit Israël donec et in Babylonicam et Romanam captivitatem abiret. Gentium autem populi illorum loco inserti in cognitione numinis tunc triumpharunt. Haec dum religio tam clare videt, nonne mirabili laetitia rapitur? Adde, quod ad exempli utilitatem pertinet, hoc facto nobis monimentum ante oculos poni, quo dissensio trahant et rerum divisio quamque certum sit signum et irati dei et amittendae libertatis, quum violenti ac irreligiosi homines praeficiuntur. Quod exemplum si spectaremus, iam dudum perspectam habuissemus rei Christianae miserabilem ruinam. Quum mollissimi et audacissimi hominum ecclesiam regunt; regna vero pueri, ne quid atrocius dicam, moderantur: quae non iam signa sunt lapsurae sed labentis rei Christianae? quae spes relinquitur nobis? Quoties enim est, ut populus aliquis, posteaquam disciplina et religio corruerint, salvus steterit? Religioni praesunt prophetae; hi

nunc fere sunt blandientes caudae, ut prophetae verbis utar. Disciplinam tuetur magistratus iustitiae custos; qui hodie sunt, dispeream si Europam percenseas, si unquam fuerunt corruptiores, iniquiores et violentiores. Verum surdo fabulam: monitorem non audiunt, exempla non spectant, imo metu trepidantem conscientiam et adcusantem non recipiunt. Certa igitur haec sunt indicia irati dei, quodque nos adflicturus est non minus quam istos olim. Nihil dici perhibet Poëta posse, quod non olim quoque dictum sit; at nos nihil fieri quod olim non sit factum credimus. Quum ergo numen sit eiusdem semper ingenii: quae insania est non videre, nos dum priscis peccando sumus pares parem quoque poenam laturos esse? Tam utilia nobis essent rerum veterum exempla, modo illa intueremur; sed alio rapit impietas. Ad me redeo: hoc boni secutum est Ieroboami seditionem, quod Iudaei tum exemplum perfidiae fieri incipiebant et exinde repudiationis, et Gentibus ostium aperiri ad cognitionem dei. Nunquam enim post captivitatem Babylonicam Iudaei sibi restituti sunt, donec in Romana propter crucifixum Christum toti pessum ierint.

Quod deus hominem lapsurum creaverit, multos tenet admiratio; sed cum paulo altius rem reputant, quomodo tunc quum hominem fingere statueret, simul statueret per filium suum illum redimere (protinus enim ut cogitaret de fingendo homine, videbat ut casurus esset: sic nos loqui humano more oportet): confestim vident inaestimabilis pretii fuisse quod homo sic est factus ut labi posset. Alias enim filius dei naturam humanam nunquam adsumsisset. Sic semper bona ex dei operibus sequuntur, etiamsi principia non sint absque aliquo insigni scelere.

Querebatur Iacobus filium suum Iosephum a beluis discerptum, quum fratres parricidium in illum admisissent. At universae rei quam laetus exitus? Credebat pater sese eo moerore confectum iri; sed et illi et suis imo tot populis vitale fuit, quod initio scelestissimum fuerat. Neque iniuriosus aut violentus est deus, quum parentem tristitia, filium autem calamitate adficit: nam quis agricolam adcusat dum silvae, quam nutrit, partem servat ad tigna, trabes et asseres quibus domum excitet, partem vero ad ignem fovendum consumat? An non utriusque partis usus hero commodus est et utilis imo necessarius etiam, adeo ut quae pars igne consumitur magis sit necessaria quam quae in aedificium coit. Sic miserabilis casus Iacobi et Iosephi, iustissimorum hominum, non redarguit deum atrocitatis aut violentiae. Quum quod magis sua sunt universa quam nemus agricolae; tum quod omnia eius opera feliciter exeunt, non tum quum nos cupimus, sed quum tempestivum est quod ipse solus novit.

Immane facinus perpetrabat Herodes, quum teneros et vagientes pueros trucidaret, sed duo nobis inde commoda provenerunt: unum, quod quum Christus eas insidias evadit, videmus deo custode ac duce factum esse ac frustra pugnari contra deum; alterum, quod nobis exemplum relictum est, impotentem excandescentiam, crudelitatem et amittendi

regni metum frustra furere. Quod utinam hoc seculo principes crebrius animo commanducarent.

Breviter, passeres duo, obolo coëmti, non dissociantur, ut alter in terram cadat sine dei providentia: quod ad quaevis fortuita, ut vocamus, pertinere videmus. Deinde et capilli capitis nostri numerati sunt: quod ad contemtissima, humillima et neglectissima pertinet. Nihil ergo tam abiectum est nostro iudicio, quod non tanti sit ut eius curam providentia dei habeat. Nihil enim illum potest latere. Et quemadmodum paterfamiliae, qui domum refertam habet omnigenis tum opibus tum armis, tum denique varia supellectile diversisque instrumentis, nihil omnium ignorat, ubinam aut quomodo sit, attritum an rubigine sordidum, integrum an fractum; nunc ista ad utendum profert, illa vero recondit, nec quicquam est omnium quod queratur sese nimis aut minus tractari, neque patrifamiliae ulla imputari potest iniuria, dum alias attrito crebrius utatur quam eo quod otio perit: sic totius mundi paterfamiliae deus nihil potest ignorare omnium, quae in sua domo sunt, aut illorum curam negligere. Novit ut hic otio torpeat, et velut Cato locutus est non utendo pereat; novit ut ille continuis aut cruciatibus aut laboribus deteratur et nihilominus eo magis ac magis utitur. Isto aliquo usque usus est in gloriam et opus suum, mox reponit atque alium ἐγχειρίζεται, in manum sumit, nullius interim iniuriae vel ignorantiae insimulatus. Relegatur Milo, repulsam patitur Cato, David ne regnum ineat impeditur, Caleb ultimus sortem adit omnium Hebraeorum facile fortissimus. His tam diu uti donec abutatur et consumat, providentiae placet; dum interim Clodius et Piso, Manasses et Absolom voluptando et libidinando tabescunt, quos inertia velut rubigine perdit. Febre laborant Petri socrus et Timotheus, ambo in opere domini assidui; recte valent Herodes et Nero, ambo per omnem obscenitatem spurcissimi. Sic liberum est providentiae cuncta disponenti illis uti assidue ad publicam utilitatem, ut vivae virtutis exempla proponat, et ostendat quanta res sit virtus quaque via paretur; his vero vitiorum sentinas ac velut cloacas ostendere, in quas foedam eluviem cuncta vitia exonerent. Quaeritur aliquis tot menses sese decubuisse, et paulo post discit quantam inde vel commoditatem tulerit vel incommoda vitaverit. Conflagrant aedes, sed meliores restituuntur, et humiliatur cui ea clades accidit. Saltant puellae, altera ut honeste corpus et movere et ponere discat, altera ut turpi gestu venalem pudicitiam amatori indicet. Ebrius fit per mensem Cato, ut curarum atque adeo mentis oneribus aliquando levetur; foetet hesternam crapulam Antonius, ut libidine et luxu sese mergat ac perdat. Potitur monarchia Caesar, Brutus solvit, ille ut Romana potestas quae iam sibi ipsi gravis erat rueret; iste ut Tarquiniorum tyrannis evulsa aequitati futurae democratiae locum daret. Sic omnibus bene utitur tam recte quam male factis, quamvis interim hoc discrimine, ut electis, etiam quae nequiter faciunt, omnia tamen bene vertat, repudiatis contra; at nos inter ista aut per impatientiam aut per inscitiam quaerimur. Et universa ad hunc modum fiunt, quia eius ordinatione et iussu cuncta geruntur.

EPILOGUS.

Quum autem per immensum pelagus rerum admirandissimarum, quas summis modo remis, quod volandum nostro metui potius quam navigandum esset, attigimus, vecti iam portum aliquem prospicimus: tempus est, ut vela colligamus. Superiorum igitur omnium brevem summam, et eam velut in aphorismos, nunc velut in epilogo congeremus. Qui tamen talis erit, ut quodque ex alio necessario pendere videatur.

Si numen est (esse autem oportet: rerum enim universarum unum est principium, id quod nos *deum* appellamus): providentiam quoque esse oportet.

Numen autem illud, sive principium intelligens, bonum ac potens esse oportet. Nam nisi intelligeret, quomodo vel intellectus creare vel opera in certas figuras producere posset? Si bonum non esset, quomodo sua virtute consisteret? Haec enim est ruinae et corruptionis causa, quiddam pravi ac vitiosi in se habuisse.

Consistere autem se ipso oportet: nam si alio niteretur, iam illud aliud summum esset; nos autem de summo loquimur, supra quod nihil est neque esse cogitari potest. Si potens non esset, nec esset summum bonum, nec intelligens. Nam et intellectus potentia et virtus est, et bonum nihil nisi virtus est; virtus autem nihil nisi recta operatio. Et omnino summa ista res, quae deus est, ni summa virtus esset ac potentia, non esset deus.

Intellectum illum summum esse oportet, perinde ac potentiam. Summus intellectus non est nisi omnia intelligat; summa quoque potentia non est nisi omnia possit, quantum ad legitimum posse attinet: nam malum facere aut se ipsum deponere aut in se converti hostiliter aut sibi ipsi contrarium esse posse, impotentia est, non potentia.

Quum igitur universa intelligat, iam ideas rerum universarum in se habet; quum universa possit, omnium potentia in illius arbitrio est. Quum igitur simul, qui universa et novit et potest, bonus tam vere ac simpliciter sit, quam intelligens et potens est: iam surgit providentia. Is enim qui cuncta novit et potest bonus non esset, nisi pro sua sapientia et potentia cunctis prospiceret.

Cunctis autem quum prospicit, necesse est ut et cuncta ex illo et in illo sint. Quamvis ex bonitate et potentia etiam istud eliciatur, quod omnia ex illo, per illum et in illo sunt. Sua enim nimirum sunt quibus prospicit: nam si alterius essent, iam duo essent rerum summae praefecta numina. Dum vero cunctis praeesse providentiam admittimus: non debemus tam confuse istud intelligere quam quidam Theologorum faciunt, qui dum ore providentiam agnoscunt, tamen de homine loquentes ei quiddam, etsi perexiguum, liberum faciunt, quod tamen pusillulum nescio quo usque definitum velint. Sed sic providentiam prò sua amplitudine et perfectione oportet agnoscere: Si quicquam esset quod illam aut lateret aut declinare posset, iam aut non esset summus intellectus numen, aut non summa potentia. Nam quacunque parte aliquid ignoraret, non esset isthic summa perfectaque sapientia; et quacunque in re aliquid

non posset, isthic non esset summa virtus. Si vero sciens ac volens quicquam praeteriret; aut quum posset per inertiam et torporem negligeret: iam summum bonum non esset. Quod sic bonum esse oportet, ut boni prorsus nihil cogitari possit, quod non sit ex illo, in illo et illud ipsum.

Numen enim ut a se ipso est, ita non est quicquam quod a se ipso et non ab illo sit. Esse igitur rerum universarum esse numinis est. Ut non sit frivola ea Philosophorum sententia, qui dixerunt, omnia unum esse; si recte modo illos capiamus, videlicet ita ut omnium esse numinis sit esse, ut ab illo cunctis tribuatur et sustineatur. Quo fit ut ab illo nihil possit negligi. Quum enim omnia ex illo et in illo sint, iam nihil aut ex illo aut in illo esse poterit, quod ab illo aut ignoretur aut contemnatur: vetant enim sapientia et bonitas. Quibus colligitur nihil tam humile aut esse aut cogitari, imo somniari posse, quod non sit aut cogitetur divina providentia. Quod autem nos multa tum negligimus tum ignoramus, tum denique contemnimus, hinc est quod numen non sumus: illi enim nihil vile est, quia fastidio nullo capi potest: quod enim fastidio est obnoxium, miserum est; numen miserum esse nequit, igitur neque ullius rei fastidio capi.

Quum autem providentia non tantum res ipsas earumque finem, sed rerum quoque seriem, puta, actiones, vitam, functiones, consilia, et quae ad finem ducunt vel comitantur, curet (nisi enim hoc faceret, iterum aut in ignorantiae aut malignitatis suspicionem incideret): constat nihil tam abiectum nostro esse iudicio, quod apud illum non sit dignissimum suo in genere ac utilissimum.

Quanto magis omnium operum rarissimum homo non est miser, quantum ad genus adtinet: hic enim quum intellectu praeditus sit, supra omnia sensibilia dignitate evehitur. Ea enim, praeter hominem, universa intellectu carent, qui ex primis dotibus numinis praecipuus est. Ipsum igitur dum quum numine communem, quantumvis mutuo, habet: iam tanto est nobilior homo reliquis sensibilibus quanto lux tenebris, volucres reptilibus et anima corpore. Non est ergo vel imprudentiae vel indignationis dei opus homo sic factus, ut labi possit; quemadmodum et de angelo sentiendum est: quum enim soli cum numine intellectum habent, dotem divinissimam, et nihil tam infirmum ac humile est quod non sit in suo genere et optimum et utilissimum: iam et homo erit in sua classe absolutissime divina providentia factus. Quae ergo imprudentes miseriae damus, felicitatis sunt. Labi potuisse a numine est inditum; fuit ergo insignis alicuius boni causa.

Lapsus autem quum calamitatem attulerit, iam constat lapsum non fuisse felicitatem; neque etiam calamitatem quae ex eo secuta est esse felicitatem posse. Sed dum id expendimus quod ex lapsu homini adfulsit, nempe iustitiae cognitio, quae citra iniustitiae vultum cognosci non potuit, quam tamen in se deus non potuit ostendere: iam lapsum videmus, bono nostro nostro generi insitum esse, ut casu erroreque liceret discere, quod contendendo ac penetrando fieri nequivisset.

Unde colligitur, sic constitutam fuisse numini hominis conditionem, ut casu suo clarius disceret quid verum, rectum ac sanctum esset. Quod si divina bonitas lapsui humano remedium non prospexisset, tum quum sic casurum videret: iam frustra fuisset intellectualis creandus. Quo enim illi intellectus fuisset usui, si vel pecorum ritu intermoriturus vel ad supplicium tantum rapiendus fuisset?

Verum quum mente praeditus est homo, manifestum fit in hoc praeditum esse ut commercium cum summa mente habeat. Huius autem commercii spes omnis intercidisset, si lapsui providentia medelam non procurasset. Imo temere factura erat providentia hominem, nisi tum, quum videret lapsurum, statuisset redimere. Sempiterna etiam sunt consilia dei; sempiternum ergo aeque est redemtionis consilium atque creationis.

Stat igitur electio dei firma et immota, etiamsi per filium suum praecepit electos ad se transferre. Quum enim iustitia per contrariam iniustitiam discenda esset, et iniustitia nondum esset nata, quantumvis iustitia aeterna esset: iam per legis transgressionem abortivum hoc expelli potuit; quod ubi prodiit, minime vitale erat. Quicquid ergo de illo nascebatur, eiusdem futurum erat conditionis, ut sic porro in ipsis providentiae penetralibus concipi redemtionem tam tempestive oportuerit, quam creationem hominis.

Iam si electio et redemtio coaetaneae sunt: firma manet electio, etiamsi electus in tam immania scelera prolabatur, qualia impii et repudiati designant. Nisi quod electis causa sunt resurgendi, repudiatis autem desperandi. Testes sunt David, Paulus, Magdalene, latro, alii. Igitur eadem ratione et vitae nostrae series ab aeterno prospecta et constituta est, ut Esavus quantumcunque mortalis providentiae tamen custodia non moreretur, ni prius repudiationis suae nefariis sceleribus experimentum dedisset; Abel autem servari non potuerit ulla ope, quum providentia illum hinc transferre velut mundam hostiam constituisset, fratris parricidae manibus mactatum. Aequanimiter itaque omnis vitae sors est ferenda, nec providentiae expositione dicendum: Genio igitur indulgebo. Si enim electus sum, felicitatem adsequar quocunque modo vivam. Nam qui sic loquuntur, testimonium dant, aut se electos non esse aut fidem ac dei cognitionem nondum habere. Qui enim dei cognitionem habent, sciunt vitam esse componendam ad nutum dei; qui vero fidem, sciunt se esse electos. Electi autem, qui hoc sciunt, non possunt non videre, quaecunque lex vetat ab eis abstinendum esse. Omnia igitur cooperantur electis ad bonum; omnia quoque circum illos divina providentia fiunt, neque quicquam tam frivolum fit quod in dei ordinatione ac opere frivolum sit. Nam etsi Catabaptistae, qui sese ferri spiritu sic videri volunt, ut subito si consistant ac subito progrediantur spiritui referant acceptum, non errent (non enim vivimus nedum movemur citra numinis operam): at quomodocunque huiusmodi deo auctore fiunt, ad illorum tamen repudiationem, hypocrisin atque stultitiam prodendum fiunt. Ut breviter providentiam recte agnovisse piis ac deum reverentibus maximum sit adversus prospera et adversa praesentissimum-

que antidotum. Opes enim si contingant, forma, valetudo, bona, liberi, honores; ac providentiae beneficio data agnoscamus: iam quae oro menti quum respiratio tum sedulitas adfertur? Illa, quum videt ista quoque quae ad corpus pertinent a numine dari utque frui eis liceat: ista vero, quum nunquam non satis cavet ne illiberaliter dispenset quae tam liberaliter accepit. Ex illa grati animi sensus, ex ista custodia nascitur. et vivendi honestissima ratio. Si vero inopia, turpitudo, aegritudo, orbitas, contemtus ac repulsae contingant, et ea providentiae referamus accepta: quantum quaeso adfert solatium in rebus tam duris? Quam magno credas animo talem supra mundum ascendere et quae sub se sunt contemnere? Posteaquam enim dixit: Divina providentia haec data sunt, haurienda erunt igitur et intrepida mente sola patientia vincenda; instrumentum dei es, te vult utendo non otio consumere; o te felicem quem ad operam suam arcessit: iam vitam istam paratus est dimittere, quum totum quoque mundum videt nihil nisi varios casus ac labores posse promittere. An non ille noster lubens ac volens patietur, universum etiam orbem si possideat a se repeti? Quis enim fundum non abdicet, unde nihil quam labor inutilis reportetur? Huc autem adducit providentiae religio. Quum enim quae fortunae bona vocare solemus cernimus sic iactari et variari, ut certo in loco nesciant consistere, nisi mente capti simus omnem operam admovebimus, ut tamen ipsi firmi maneamus neque cum eis iactari nos patiamur; non secus quam quum adversus procellam post promontorium aliquod navis impellitur, accingitur et ancorae eiiciuntur. Unde contra istorum motus quis firmare poterit, quam providentiae contemplatio? Quae fortissimo pectori suas istas voces suggerit: Ne credas haec temere fieri! meo iussu fiunt. Facta oportet: aliter fieri nequit. Fortiter si feras triumphum ages pulcherrimum, non apud istos qui adplaudunt etiam sceleratissimo cuique, dummodo cruentum aliquod facinus designavit; sed coram ista beatorum concione, ubi iustorum virorum, fortium, sapientum, doctorum, piorum omnium, quotquot a condito mundo fuerunt, nullus deest, ubi sese audacia non pro fortitudine, hypocrisis non pro religione, loquacitas non pro doctrina, eloquentia inanis non pro sapientia vendere possunt. Isthic enim ii soli conveniunt qui solidam virtutem non scoriam quaesierunt. Isthic Agonotheta praeest, quem fallere nemo poterit quique neminem ipse fraudat aut fallit. Si vero per inertiam ac desperationem laborem fugias, iam nemo te erit ignominiosior: non enim potest falli dux quem prodis. Ipse enim arcanos humani pectoris recessus perspectos habet. Non poterit crimen vel negari vel transferri: ipse enim in frontibus nostris scriptum videt quicquid fecerimus, et aliorum universa novit genera, ut mutati aut interpolati legum tituli nihil possint. Nullae latebrae celare potuerunt Caini et Romuli parricidium, stuprum Davidis et Aegisthi. Quo fit ut apud homines, etsi criminis nomen possis mutare, at non etiam apud deum. Balaamus, huius fluctuationis, qua sibi animi nostri non satis fidunt in providentiae cognitione, incertos solidissime suo exemplo firmat. Acciverat illum Balacus ut gentem Israëliticam devoveret, ad-

iectis haud poenitendis pollicitationibus. Deus autem vetabat ne quicquam adversus hanc gentem ordiretur aut caneret. Hic vide quae iactationes animum eius divexent! Negat deus divinationem ac devotionem eius quicquam valituras esse. Credit ille sine controversia deo. Sed ex alia parte instant rex promissiones accumulans, cupiditas instar hydropis perpetuo sitiens et perpetuo bibens, atque hominem in diversa trahunt, ut quamvis strenue negaret sese iturum esse non minus tamen instaret strenue cupiditas. Concedit tandem deus profectionem, hac cum lege: Adversus Israëlem non quicquam molitor! Quum in rem praesentem ventum est, qui quaeso conatus capiuntur tam a rege quam a divino? nunc partem exercitus Israëlitici nequicquam fascinaturi contemplantur; nunc totum. At quicquid tandem commentantur, illius amittendae tyrannidis, huius amittendi muneris timores, imprecatio pro dei iussu ac providentia exit, non pro hominum adfectu. Sic, inquam, luctamur et vacillamus in providentiae negotio. Ista quum se sic nobis ante oculos ponit, ut vel inviti cogamur illam intueri, observare et iussa capessere: tamen eventus quosdam pro nostra adfectione nos ipsos iubemus sperare. Quae audacia nonnunquam eo provehit, ut vel ingrato numine nobis myrmecia Indorum polliceatur. Veruntamen quicquid obstrepamus aut meditemur, dei consilium firmum manet. Moliuntur tyranni, moliuntur his ad excogitandum rudiores ac infeliciores tumultuosuli quidam rustici. Illi quibus modis herbescentem Evangelii *κόκκον* strangulent, quo minus exactiones immodicae internosci queant quibus omnem tum lasciviam tum luxum fovent, quo minus quid rectum aut iniquum sit videatur, ne praevaricandi et calumniandi artes deprehendantur; ne si quando, quidnam vis sit, quid vero ius vulgo intelligatur, violentiam suam iusti nomine non amplius possint tegere. Hi vero qua ratione ad dissolutam petulantiam potius quam ad ingenuam libertatem evangelii praetextu possint adspirare. Quid, hos non extimulat cupiditas perinde ac Balacum et Balaamum? Verum quod consilium tandem exiturum est? Non hercle Balaci quantumvis furentis ac tyrannidi metuentis: tuta enim erunt castra Israëlis domini praesidio. Non Balaami cupiditate ferventis: non enim quaerit lasciviam aut iniuriam Christi evangelium. Sed domini consilium surget, quo ecclesiam suam statuit a pessimis ruderibus repurgare, non inferre. Sed cur, inquis, permittebat profectionem Balaamo dominus, quum eam esset irritam redditurus? Ideo ut stulti videamus, frustra capi suadente cupiditate consilia: quantumvis enim aliquamdiu procedant, postremo tamen irrita fieri; atque ideo, ut videamus hanc inter carnem et spiritum inimicitiam nunquam componi aut transigi posse, ut non utrumque pro sua vel constantia vel contumacia aliquid adversus alterum moliatur. Obstat Balaamo angelus, recalcitrat asina et sessoris pedem ad maceriam allidit. Cur ista sic fiunt a providentia? praesertim quum uno verbo perdere contumacius contendentem potuisset? Eadem opera requiremus cur hominem creaverit, quum tot ei labores perferendi sint. Imo cur non ad superos subvehat, protinus ut natus est; sed quid dico ut natus est? Cur nasci patitur, atque adeo dum vix par sit aerumna humanae nativitati? Bellae res sunt arbores; at quum non

moventur non sunt tam nobiles, atque eae res quae moventur. Ita mundus non est in hoc factus, ut nemo illo utatur. Porro cui usus fructus eius locatus est? Homini. At si ille ut inter prima demonstravimus, nunquam veniret in mundum, annon tantum opus frustra esset? Quis tot res sursum deorsumque, aedificando, demoliendo, incidendo plantandoque volveret? Hominis igitur ordo ac constitutio a providentia talis est, ut in hoc mundo versetur aliquamdiu perinde ac poma in arbore; et ut illa quum permaturuerunt leguntur et reponuntur: sic noster ille in coelestia, post huius mundi aestus, horrea recondatur. Interim rebellat caro. Hanc ergo compescere oportet nunc verberibus, nunc donis ac muneribus. Hinc praebetur illi gustus bonorum futurorum, isthinc malorum. Unde adparitionum tum terriculamenta tum solatia. Hic solantur angeli, quo magis videat homo quo loco habeatur a numine. Hic terrent daemoniorum ac lemurum negotia, quo minus homo sit negligens ad numinis monita minusque ad perversorum spirituum partem deficiat. Atque in universum, si cur quidque factum sit non ad numinis voluntatem referimus: iam aut satis fuisse dicemus si solus deus sese frueretur citra omnes creaturas, cum istae illi nulli sint usui; aut numen non esse: quicquam enim temere esse ab aliquo imperfectionem eius a quo est arguit. Si autem numen imperfectum est, numen non est; quorum utrumque ex aequo impium est et stultum. Nam et hoc omnino irrefragabile est, aut providentiam omnia curare, nuspiam cessare ac torpere, aut omnino nullam esse. Et si illa non esset: neque numen esset. Quod quam impium et alienum sit ab homine nemo non videt; quorsum enim ille animo esset praeditus, quorsum intelligeret et veri, iusti ac sancti cognitionem haberet? si pecorum ritu et viveremus et moreremur, nec intelligentes essemus nec iusti et aequi studiosi. Verum quum simus: iam finis est cuius causa tales sumus. Eum ergo oportet praestantiorem esse cunctis quae in hoc mundo sunt. Imo ni summum bonum sit summus intellectus et summa virtus, humanam mentem non quietam reddet. Patet ergo ad hunc modum redascendendo a nostro intellectu ad numen perveniri; quod ubi tenuerimus iam providentia eadem opera pervestigata est. Quae sese colentibus et videndi cupidis magis ac magis exhibeat, opto, et post hoc exilium fruendam praestet! Amen.

Quocirca ut tandem finiam, Christianissime Princeps reliquique fratres qui sub Christi signis stipendia facitis, crebro vos in providentiae contemplationem recipite! ibi enim universorum aestuum ac procellarum respirationem atque interceptionem invenietis. Esto! levi manu ac velut in transcursu nobis omnia sint dicta. Adde etiam quod argumentis ferme amplius quam scripturae testimoniis, quae tamen ut in loco non desunt ita toti argumentationi fundamentum, quod labefactari nulla ratione potest, suggerunt: speramus tamen rudibus atque imperitis nonnullam ascendendi occasionem ad clariora huius materiae oblatam. Incise cogimur scribere atque relegere. Hinc factum est, ut inter relegendum quaedam deprehenderimus iterum atque iterum repetita, quae tamen loco movere noluimus: sciunt enim periti homi-

nes, quid iis usu veniat, qui nullo non momento ab occupationum novo pulsu velut discerpuntur, ut non ambigam eos boni consulturos. Tu, optime Princeps! perge esse quod audis; et servet te divina providentia ecclesiae suae incolumem. Nos enim ingenue agnoscimus factum esse, ut hoc muneris a nobis postulares, quo vel aliqua lux vel nostra stultitia proderetur. Tiguri XX. Augusti. MDXXX.

HULDRICI ZUINGLII

TOGGENBURGII

INEDUCATUM BOVIS FABULOSUM CENTIMETRUM CURRENTIUM RERUM COMMENTICIUM.

Illustrationes hujus poëmatis reperiuntur in parte II. voluminis II. operum Zuinglii et in parte III. librorum germanico sermone scriptorum p. 243—245. 257. 262—264.

Septus erat circum parte una montibus altis
Hortus, parte alia rivis stridentibus, in quo
Crassior errabat rufoque colore iuvencus
Cornibus extensis, crispa fronte atque pilosa,
5. Pectore distento, mento palearibus amplis
Conspicuo, virides herbas et gramina tondens,
Nonnunquam gelidos latices sorbebat anhelus
Deliciis dives animalibus: invidiori
Fortunae exosus soli, quae fellea cunctis
10. Dulcibus admiscet; nam aeluros adiicit illi
Vafros custodes, nutu quorum omnia simplex
Incoeptet facienda (Medusae rectus ocello).
Haerebat lateri tum indissociata Lycisca
Insidias prodens inimicas, cautior ut bos
15. Bestiolarum acies praevisas tunderet, auctus
Faunorum auxiliis, recoli quae in corde lubebat.
Tum licet irruerent rugitu forte leones
Horrendo atque ferae plures: tamen inde redibant
Vix lacerae, invictus semper surrexit acerbus
20. Sic victor bos: ast ubi nec verbo, impetibus nec
Proficiunt, alia nituntur; fallere techna
Instituunt: Catto promittere pinguia quaeque
(Pingui etenim aelurus gaudet) cum pisce volucrem:
Inducant Taurum ut scopulos hortumque relinquens

25. Tendat in externas (quo major gloria) terras.
Ae primum egregie blandus Leopardus adibat
Multicolor, cattos pingui mox munere incseans:
Quis captis capitur bos aere misellus eodem,
Perlatrante diu nec praepediente Lycisca.
30. Suasibus ut cepit nocuoque specilliger astu,
Taurum quo vult et quo non vult ducit inertem.
Nec fuerat subtus condendi stercora, ante a)
Quam mansus cibus insolitus venterque novatus
Lauciolis merdas graviores ipse cacasset. b)
35. Abstineant iussi tum nobilioribus escis
Ne excrementa oleant graviter tam: fiat et equus, c)
Conversatus ceu fuerat prius: hisce voluptas
Iam illecta abstinuit nunquam, verborum arte fefellit
Iussa vafer custos, occultans stercora fossa,
40. Olfactu ne offendatur: bos conticeatque
Exprobrare epulas, sed ducere ut ante misellum
Possit. Sic strictos persuasus currit in enses
Bos gladiosque vorat subit et discrimina cuncta ut
Centivaftrum ditet Leopardum ac nutriat anguem.
45. Hoc leo ubi vidit, versuti invidit acervo
Atque bovem appellit: cauda iubaque remissis
Obsecrat, in foedus sanctum iustumque eat ultro.
Id mox barbati simplex bos auribus inflat
Aeluri, qui incunctanter (ne munera perdat
50. Ampla Leopardi) respondens abnuit addens:
Haud tutum macro (quamvis regi atque supremo
Imperatori) confidere: nempe ubi deerit,
Quomodo esuriem saturet cupidam, forte irruet, inquit,
In te atrox. Paret monitis bos atque leonis
55. Temnit amicitias, quo vix leo quid tulit unquàm
Aegrius: alloquiturque his se verbis furibundus:
Illum ego falsellum! Simul advolat ad Leopardi
Antrum (a quo fraudes centum perpessus iniquas,
Contemptus, stupra) et queritur, magnum auxiliumque
60. Complorat. Iaciunt foedus Leo multicolorque
Mox adamantinum, expaveant quo cuncti animantes.
Mox vulpem incursant timidam morsuque lacessunt
Mox desperatam foveisque expungere tentant
Omnibus; at lacera ad vicinum forte bubulcum
65. Reptitat innixa pedibus tribus, alta recensens
Vulnera contusumque caput (ceu fert animantis

a) v. 32. „Nec fuerat mos, ius condendi stercora, ante" Coniicit Ioh. Schulthess.
b) v. 34. „Lutitiis merdas graviores inde cacasset." Coniicit idem.
c) v. 36. „Ne excrementa oleant graviter tam quam fimus equi,
Conversatus qui fuerat prius. Abstinuit iam
Illecta nunquam, verborum arte fefellit" Coniicit idem.

Astus): subveniat miserae extemploque precatur
Promittens quicquid pullorum abstraxerit unquam
Reddere. Tum ejus pastorem miseret, licet ante haec
70. Paucillos dolulos persenserit, immemor horum
Astruit auxilium taurumque iis convenit ipse
Pastor: non te latet, patris quanta atque patrimi
In me tui viguit probitas spectata fidesque.
Intuitu horum ego nunc moneo, ne degenerem te
75. Inveniam. Armentum ut lacerant nosti Leopardus
Et leo; lanigerumque gregem expilant misereque
Mactant: discerpunt: specie sub simplicis agni
Furtim abigunt: quorum insidias raptusque furaces
Praeveniam: genuinum teque authore retundam.
80. Blanditur blandis baubatibus hisce Lycisca
Gaudens; pastorem suadet ne linquat amicum
Bos: duce quo facile evadat rictus minitantum
Conspiratorum. Id cattis praecordia mandit
Respiciuntque ad vafrum saepe fugam meditantes.
85. Bos id ubi vidit pigrescens colla reflectit
Pauxillum; at stimulis graditur velut excitus ante.
Id dum conspiciunt fratres Leo millevaferque
Rumpuntur, stridunt, frendentes dentibus atris
Bellum indicunt tauro horridulum, revocet ni *d)*
90. Foedera pastoremque relinquat. Rebus in istis
Tauri anceps vita. His interfuerat caper et se
Illisce alloquitur: mirum ni vapulet aegre
Nunc bos, pastoris ni defendente bacillo
Servetur, ni vel desciscant et Leopardus
95. Et Leo, vel referat pia munera multicolor, sed
Indignatio pastoris tunc. Undique tensum
Rhete armis solis scindendum. Sed beat id me:
Florentes carpam cytisos et munera temnam.
Munera concipiant, malunt qui vivere inique.

---

d) v. 89. „Bellum indicunt horrificum tauro, revocet ni."
Coniicit Ioh. Schulthess.

QUO PACTO INGENUI ADOLESCENTES FORMANDI SINT,

PRAECEPTIONES PAUCULAE,

HULDRYCHO ZUINGLIO AUTHORE.

Hic liber annis 1523 et 1524 ter est editus. Primam editionem (Basileae, 1523. $1\frac{1}{2}$ folia 8°.) curavit vir Zwinglio familiarissimus, *Jacobus Ceporinus*, qui opusculum hisce litteris commendavit adolescentibus: Jac. Ceporinus candidis Iuvenibus S.

Magni facient spero quamvis pusillum hoc sibi vice muneris ablatum opusculum adolescentes christiani, quod *Zwinglium* magnum in Christo virum referat autorem. Is sane ut totus in hoc est, quo omnes quod nomine sumus, re ipsa tandem fiamus, christiani, sic praecipue innocuam, nec dum pravis mundi studiis infectam iuventutem nititur pertrahere ad Christum. Proinde munusculum hoc qualecunque piis animis candidi adolescentes excipite, hanc gratiam uni Christo autori relaturi, ut quae in hoc libello christiane praecepta oculis legitis, eadem vita moribusque exprimatis Christo dignis. Valete.

Altera editio addita sibi habuit *Phil. Melanchthonis* clementa puerilia, Aug. Vindel. 1524. 8. Tertia prodiit Tiguri, a. 1524, apud Christoph. Froschouerum, 8. Item: duae interpretationes Germanicae, altera a. 1524 (s. l.), altera a. 1526, apud Froschouerum, utraque 4°. Repetitus est liber etiam in Opp. Zwingl. I. fol. 278, b—282, b.

Geroldus Meier de Knonau, cui Zwinglius hunc librum dedicavit, erat *Ioannis Meieri* filius, tres ante annos mortui, et *Annae Reinhard*, quae Zwinglio postmodum nupta, tum cum futuro privigno hunc librum dedicaret, sponsa erat. *Meierus Glareano* duce Basileae litteris operam dabat, atque ex eo oppido iam a. 1521 ad Zwinglium litteras miserat, in quibus iuvenilis hilaritatis plenus pulchram Basileam et maxima eius decora, viros doctrina excellentes, praedicabat. (Vide Epp. I. pag. 181. 182.) Cum Zwinglio in pugnam iit ad Cappellam, ibique cum iuxta eum fortissime pugnasset et (Bullingero teste) hostium veniam strenue recusasset, occisus est. Eodem igitur et tempore et loco et modo, quo pater, praeceptor, amicus, mortem oppetiit.

GEROLDO MEIER ADOLESCENTI OPTIMO, HULD. ZUINGLIUS GRATIAM ET PACEM A DEO ET DOMINO NOSTRO IESU CHRISTO.

Quum te nuper a thermis redeuntem laeti omnes excipiunt, aliique aliis te muneribus honorare certant, visus sum ipse mihi prorsus incivilis futurus, si te non qualicunque dono adficerem, Gerolde adolescens suavissime, praesertim cum mos iste lavantes honorandi sit vulgo inter amicos receptus: inter quos te duplici nomine censemus, et quod literis operam feliciter navas, et quod sub Glareani nostri signis meres. Cumque diutius apud me quaererem, quidnam tibi possit esse gratissimum, invenio tandem, aut sanctum, aut doctum, aut utrumque esse oportere, quod tibi placere cupiat. Nam ut natura videris ad pietatem, virtutemque natus esse, ita urbanitatis ac elegantiae fructus, praecoces quidem illos, sed eo gratiores, sponte iam nunc praebes. Docta autem, perlustrata quamvis diligenter omni supellectile, cum praestare nulla via possemus: reliquum erat, ut piis quibusdam ac ad salutem, tum animi tum corporis, virtutemque conducibilibus te demereremur. Olim itaque cum consilium, quemadmodum ingenuos instituere adolescentes oporteat, condendi libellum coepimus, propositumque, ut est praesentium rerum status, varii tumultus morati sint, subveniebat tamen anxie munus deligenti, in animum, capti olim consilii mentio. Et quamvis plerosque videam sollicitos esse, ut absolutum laborem digno alicui patrono nuncupent, nobis tamen contra evenit: nam cui nuncupari oportet, praesto est, sed deest otium, novemque illi anni, quibus premi oportet opus. Quapropter inter ista duo incommoda, quod ad te aliquid omnino missitandum est, et quod occupationes istuc, ut digne fiat, haud permittunt, inveni, quo in praesentia utrique nostrum satisfieret. Furatus sum ipse mihi tantum tempusculi, ut tumultuarie praeceptiones pauculas congesserim: et certe in universum paucas esse oportet, sed probe expensas, ne copia fastidium pariat: ita enim fere comparatum est, ut quae parcius propinentur, avidius hauriantur. Quas tu non ab ornatu aestimabis, sed a sensu, et ab animo, a quo profectae sunt. Pia enim sancte polliceri possumus, si sumus ipsi non impii. Docta promittere, etiam si sis ipse doctissimus, pudor est. Habent primae praeceptiones, quemadmodum sit tener ingenui hominis animus, in his quae ad deum attinent, imbuendus. Secundae, quemadmodum in his quae ad se. Tertiae, quemadmodum in his quae ad alios spectant. Neque hic propositum est a cunis ordiri, sed neque a rudimentis: verum ab ea aetate, quae iam sapere, ac sine cortice natare incipit: in qua etiamnum ipse degis. Has tu diligenter, ut spero, leges, teque in ipsas transfigurabis, ut alii quoque vivum specimen exhibeas. Id faxit Christus Opt. Max. Amen. Tiguri calend. Augusti MDXXIII.

PRIMARUM PRAECEPTIONUM APHORISMI.

Ante omnia, cum non sit humanarum virium cuiusquam pectus ad fidem unius dei pertrahere, etiamsi quis Periclem suadendo superet, sed coelestis tantummodo patris, qui nos ad se trahit, adhuc tamen iuxta verbum Apostoli, Fides ex auditione est, modo auditio sit verbum Christi: non hercle, quod ipsa verbi praedicatio tantum polleat, ni spiritus intus canens moneat: Ideo verbis purissimis instillanda est, oreque dei usitatissimis, fides: Iungendae simul preces ad eum, qui solus fideles facit, ut quem nos docemus verbo, ipse adflatu suo illuminet.

Nec fortasse alienum fuerit ab instituto Christi, si in agnitionem dei etiam per visibilia adducamus. Puta, si universam mundi molem ante oculos aduocemus, singula digito monstrantes, esse mutationi obnoxia, sed immutatum immotumque esse oportere eum, qui omnia, cum tam varia sint, tam firma mirabilique concordia conciliavit.

Rursus eum qui tanta solertia cuncta disposuit, ne suspicandum quidem esse, negligentem operis sui futurum, cum inter mortales vitio vertatur, si quis rei domesticae parum diligens fuerit.

Hinc discet ille noster, dei providentiam res omneis curantem, omnia disponentem, omnia servantem. Nam duorum passerum, qui asse parati sunt, alter ne in terram modo nobis decidit citra eius consilium: quae pilos quoque capitis nostri numeravit, nihil prorsus hac cura vilescens.

Quo manifestum fit, eam non modo quibus anima, sed ea quoque quibus corpus eget, destinare: cum corvos videamus tam liberaliter ab ea excipi, lilia vero tam splendide vestiri.

Hactenus de divina providentia recte imbuta mens, fieri non potest, ut unquam anxia fiat, aut sordide cupida. Quem adfectum, si in ipsa herba reciderimus, iam nocentissima peste mentem liberavimus.

Sciet enim deum non solummodo dominum, sed et patrem esse omnium in se credentium, hoc est fidentium: cupereque, ut ad se pro imploranda ope haud segnius adcurramus, quam ad parentem qui genuit, propriisque verbis opem pollicitum, quod orari nimirum amet.

Proinde si aegritudo vel animi vel corporis adfligit, medelam ab illo impetrandam: si urget hostis, si degravat invidia, ad eum confugiendum: si sapientiam, si eruditionem adfectamus, apud hunc ambiendas: imo coniugem quoque et liberos hinc petendos esse.

Res et honores si paulo uberius adfluant, ab eo petendum, ne animum his emolliri patiatur, inque transversum abduci.

Quid multa? in universum omnia sciet hinc esse petenda, nefasque putabit quicquam ab illo petere, quod ei praestare indecorum esset: pudebitque tandem quicquam vel cupere vel habere, quod per deum non licet, et eas res unice comparabit ac reponet, quae vere beatos reddunt.

Evangelii mysterium hac via capiet, statum primi hominis ante omnia resciet, nempe ut is sit morte mortuus, posteaquam praeceptum dei praevaricatus esset, ut suo facinore posteritatem omnem vitiarit: mortui enim vivos generare nequeunt: nec Aethiopem vidimus unquam apud Britannos natum: unde hic noster suum quoque morbum agnoscet.

Agnoscit hinc quoque, si sciat, ut omnia ex adfectibus ἐκ τῶν παϑῶν geramus nos, deus autem, ut sit ab eis alienissimus. Ex quo indubie sequitur, nos quoque alienissimos esse oportere, si cum deo habitare cupiemus. Ut enim innocentissimus quisque nihil commercii cum flagitiosissimis habet, atque e diverso iustum ferre nequit iniquissimus (Nerones enim ut Senecas duci iubent, ita e diverso Ennios cum Scipionibus idem tumulus tegit): sic cum deo quoque non alius habitabit, quam qui incedit sine macula, et sanctus est quemadmodum ipse sanctus est, cordisque munditia praeditus: Beati enim mundo corde, quoniam ipsi deum videbunt.

Tantam autem innocentiam qua ratione parabimus, qui affectibus impurissimis undique septi sumus? Hic inter malleum et incudem positi, cum deus tantam innocentiam exigat, nos aliud vitiati praestare non possimus quam vitium, velimus, nolimus, deo manus dare cogimur, et eius gratiae permittere. Hic Evangelii lux oritur.

His angustiis inclusos Christus eximit, qui nos longe melius quam ullus Iupiter servator liberavit, conscientiam desperationi proximam ante omnia erigens, ac mox certissima spe sibi iunctam felicem reddens. Ipse enim ab omni labe quorumcunque vitiosorum affectuum cum sit alienissimus, de spiritu enim sancto conceptus, exque virgine illibata genitus est: primum, ut liberaret, hanc innocentiam suam pro nobis exposuit: nam labores et dolores nostros ipse vere tulit: post, eos qui hoc inconcusse credunt, beatos efficit.

Qui enim hanc liberalem condonationem crediderit, a deo per Christum misero mortalium generi praestitam, salvus erit, et coheres Christi factus, apud patrem in aeternum laetabitur. Vult enim ille, ut ubi ipse sit, illic sit et minister suus.

Christi innocentia pro reis, imo damnatis exposita nos absolvit, ac deo dignos hac potissimum causa reddit, quod ipse modum et mensuram divinae iustitiae adimplere potuit: alienissimus enim erat a corruptis affectibus: cumque talis, tantusque sit, nempe deus, noster tamen factus est. Ex quo sequitur, qua una caremus, iustitiam quoque suam, nostram esse factam. Ipse enim factus est nobis a deo, sapientia, iustitia, sanctificatio et redemptio.

Iam per ipsum accessum habemus ad deum, noster enim est, pignus gratiae dei est, advocatus, vas, pars, intercessor, mediator, prora et puppis est, *α* et *ω*.

Qui hactenus Evangelii mysterium tenent, eoque fidunt, ex deo nati sunt: nam humanae imbecillitatis captus, tam profundum gratiae dei consilium non adsequitur.

Hinc fluit, ut qui per Evangelium renati sunt, non peccent: omnis enim qui natus est ex deo, non peccat: at qui credit Evangelio, ex deo natus est: non ergo peccant qui per Evangelium renati sunt, id est peccata eis ad damnationem ac mortem non imputantur, quod ea Christus precio mortis suae redemit.

Nam et si ipsi, dum in hoc corpore peregrinamur a domino, sine affectibus esse non possumus, et hinc etiam non sine peccato, Christus tamen, quoniam noster est, omnem hanc impotentiam sarcit. Aeternus

enim deus ac spiritus cum sit, preciosior est ad omnium hominum flagitia redimenda, quam ipsa commereri possint.

Quae quidem fiducia non segnes reddit, sed accingit et urget ad recte gerendum rem: non enim ab homine nata est: qui enim fieri posset, ut humana mens, quae a sensibus fere pendet, tota in id incumberet, quod sensu nullo pacto percipitur? sed a deo. Nunc, ubi deus operatur, cave anxius sis, quo modo res recte gerantur.

Deus enim, ut est Endelechia, quae immota, cuncta versat et movet, eum etiam, cuius pectus ad se traxerit, desidere non patietur. Quae quidem sententia probationibus non constat, sed usu: soli enim fideles experiuntur, quam nihil otii det suis Christus, quamque hilariter in negotio eius iucundeque versentur.

Quisquis igitur evangelii mysterium capit, recte vivere conatur: quamobrem tradi oportet, quoad fieri potest, mundissime ac diligentissime.

Iam hoc quoque tempestive tradendum est, quibus nam officiis deum maxime demereamur, eis nimirum, quibus ipse nunquam non erga nos utitur, Iustitia, Fide, Misericordia. Deus enim cum sit spiritus, non alia quam spiritali deditae mentis hostia coli recte potest. Huc igitur aciem dirigat adolescens, ut mature bonum virum meditetur, qui sit innocentissimus, ac deo quam simillimus.

Is prodest omnibus, nocet nemini, ni quis sibi ipsi prius nocuerit: sic, qui omnibus prodesse, omnibus omnia fieri studet, ac ab omni prorsus iniuria manum abstinet, deo simillimus est. Ardua sunt haec si vires nostras spectes, sed credenti omnia sunt possibilia.

SECUNDARUM PRAECEPTIONUM APHORISMI.

Posteaquam animus solidae virtuti destinandus per fidem recte formatus fuerit, proximum est, ut se totum intus belle adornet et componat: nam si apud se recte comparata sunt omnia, facile aliis recte consulet.

Rectius autem animum componere non poterit, quam si verbum dei nocturna manu diurnaque verset. Id autem commode faciet, si linguas, Hebraicam et Graecam probe calleat, quod sine altera vetus instrumentum, sine altera novum pure capi difficulter possit.

Quoniam vero istos docere suscepimus, qui iam prima rudimenta exantlarunt, Latinaque passim apud omnes obtinuit, deserendam omnino non censemus: nam et si ad sacrarum literarum intellectionem minus faciat, quam vel Graeca vel Hebraica, ad reliquum tamen vitae usum haud mediocriter proderit. Usu venit etiam aliquando, ut apud Latinos quoque Christi negotium agere cogamur. At linguis ad quaestum abuti, id vero a Christiano homine debet alienissimum esse. Sunt enim linguae divini spiritus donum.

Proxima ab ista, cui operam demus, erit Graeca, propter novum instrumentum, ut dictum est: nam, ut pace omnium dicam quod sentio, doctrinam Christi iam inde ab exordio video minus digne tractatam a Latinis hominibus, quam a Graecis. Ad fontes igitur hic noster mittendus est.

Quanquam in utraque istud observandum est, ut fide innocentiaque

pectus praemunitum habeat; sunt enim haud parum multa quae perniciose discerentur, petulantia, imperandi belligerandique libido, vafricies, inanis philosophia, et similia, quae tamen omnia praemonita mens instar Ulyssis intacta praeterire poterit, cum scilicet ad primam vocem sic se admonuerit: haec audis ut caveas, non ut capias. Hebraicae ultimum hac potissimum causa damus, quod, ut paulo ante dictum est, Latina apud omnes inolevit, et eam opportunissime Graeca sequitur, alioqui Hebraicae merito primas tribuissemus, quod sine huius schematis, apud Graecos etiam, multis in locis sudet, quisquis germanum scripturae sensum eruere velit. De linguarum utilitate ad saturitatem dicere, non est huius propositi.

His armis ad sapientiam istam coelestem, cui humana nulla comparari, nedum aequiparari iure debet, irrumpere poterit, quisquis humili sitibundaque mente accedit.

Quo cum irruperit, omnigenas recte vivendi formas inveniet, nempe Christum absolutissimum omnis virtutis exemplar: quem ubi ex dictis factisque plane cognoverit, ita amplectetur, ut in omni vel actione vel consilio, partem aliquam virtutum ipsius exprimere, quoad humanae tenuitati fas est, conetur.

Tempestive ab eo et loqui et tacere discet: pudebit immature de his loqui quae maturrimos requirunt, quod Christum videat anno vix tandem tricesimo reposuisse: quamvis duodecimo quoque anno periculum sui legis peritis dederit: Quo nos exemplo non tam docemur cito prodire, quam a teneris res magnas, sed deo dignas, moliri.

Nam ut foeminae summum per omnem vitam ornamentum est silentium, ita adolescentem nihil commendabiliorem facit, quam ad certum tempus silentii studium, donec et mens et lingua, tam seorsim quam inter se probe constent. Neque hic Pythagoricum silentium exigimus, sed loquendi cupiditatem premimus: ac nisi tempestive loquuturus sit adolescens, loqui omnino vetamus.

Eloquentiam dum apud praeceptores meditatur, non deformabit ad horum exemplum, si quid vitii habeant. Neque id praecepti levis momenti quis putet, nam veterum quoque memoria proditum est, auditores quosdam non modo linguae praeceptorum vitia, sed corporis quoque imitatos esse.

Vitia linguae cuique obvium est cognoscere, orationis autem habitus tum praeter artificium, de quo hic dicendi locus non est, vitiosus est, si nimis celeriter aut tarde nimis incedat oratio, si accentus sit nimis humilis et languens, aut vehemens nimis, si in quavis causa et genere quolibet idem sit oris habitus, eademque hypocrisis, ut vocant, vel gesticulatio insolens.

Elephantos observatum est anxie solos, pro quibus vapulassent, meditatos esse: sic adolescens crebro secum meditabitur, ut sit os compositurus, ut manus prolaturus, ut eis verecunde, quod oportet, indicaturus, non remigaturus. Atque haec omnia ita moderabitur, ut veritati serviant, non ut aliis lenocinentur. Nam meretricei quorundam mores, ut ferri a Christiano pectore possent? Unde isto exercitio, quod hic requirimus, non aliud intendimus, quam ut quisque apud se exte-

rioribus vitiis imperare discat, quae vitiosae mentis haud incertissima signa sunt. Hanc igitur primum integram esse oportet, quae ubi fuerit, facile tempestatem exteriorum membrorum moderabitur, ne aut immodice frontem contrahamus, aut os transformemus, aut caput concutiamus, aut manus dissipemus, sed inadfectata, rustica, et simplici quadam modestia, haec omnia temperemus. Haec de oratione et silentio.

Vini saturitatem, aeque ac cicutam fugiet: nam secundum hoc, quod iuvenile corpus, quod suapte sponte ad vehementiam proclivum est, ad insaniam adigit, senectam etiam adhuc dubie nos expectantem, in herba vitiat, quo fit, ut cum fors ad eam ventum sit, morbum, non requiem reperiamus. Fieri enim non potest, ut qui se impensius vino proluere consueverint, ut non in aliquem sonticum morbum tandem incidant, ut est epilepticus, paralyticus, hydropicus, elephanticus, et consimiles. Quapropter, mature fias senex, si vis diu esse senex.

Reliquus victus parabilis esto: nam quid adolescenti, cuius stomachus natura expeditus est ad perfectionem, cum perdicibus, turdis, ficedulis, capis, capreis, ac id genus lautitiis? quin eos dentibus tandem obtusis, palato detrito, gulae diuturno usu callosae, stomacho iam segni, corpori semimortuo utendos reponit. Nam fovendi senii quae spes erit, si, quorum cupidum est, lasciva iuventus per intemperantiam fastidiosa fecerit?

Fames interim vincenda modo est, non profliganda: nam Galenum perhibent annos centum viginti vixisse, quod a tabula nunquam satur abierit. Neque hic exigo, ut fame te ipsum conficias, sed ne supra quam usus vitae postulat, implacabili voracitati servias: non enim ignoro, facile peccari posse in utramque partem, si vel in lupos voracitate abeamus, vel fame inutiles nos reddiderimus.

Nihil esse stolidius autumo, quam vestium precio claritatem ambire, cum hoc pacto pontificiae quoque mulae clarae fieri possent ac celebres: ut enim robustae sunt, plus auri, argenti, gemmarumque ferre possent, quam ullus Milo. Quem vero ambitiosi vestitus non pudeat, qui filium dei ac virginis audiat in praesepi vagitus suos edere, tot solummodo fasciis involutum, quot virguncula ad partum imparata secum gestabat?

Peregrinas aut novas vestium figuras, qui quotidie producunt, inconstantissimae, vel si id nimis est, effoeminatae mentis aut tenerae certissimum signum dant. Christi non sunt: nam egenos interea frigore perire sinunt et fame. Unde a vestium luxu, tam est temperandum, quam a quavis mali specie.

Amare dum incipit adolescens, animi sui tyrocinium exhibere debet: ac dum alii viribus et armis per tumultum lacertos suos explorant, hic noster omne robur huc vertet, ut se ab amoris insania tueatur, cumque amandum prorsus esse viderit, caveat ne depereat, sed talem eligat ad amorem, cuius se ferre mores in perpetuo matrimonio posse confidat, eique congressum suum usque ad connubium tam illibate custodiat, ut praeter hanc ex omni mulierum virginumque corona nullam noverit.

Pecuniae gloriaeque cupiditatem quid hic vetare attinet, cum apud gentiles quoque malum istud male audiat? et hic noster non sit Christianus futurus, si ei serviat, quae non unum et alterum pessumdedit,

sed florentissima regna evertit, urbes potentissimas excidit, rem quamcunque publicam invasit, funditus perdidit. Haec ubi arcem mentis occupaverit, nihil recte geri permittit: nocentissima pestis est, sed heu potens: quam per solum Christum iugulabimus, si assidui aemulatores eius fuerimus: Is enim quid aliud hic egit, quam huic malo mederi?

Mathematicas disciplinas, quibus Musicen quoque connumerant, non leviter, tametsi perfunctorie, attingendas esse putamus: ut enim cognitae magno sunt usui, neglectae vero impedimento haud mediocri, ita, si quis in eis consenescat, nihil aliud emolumenti reportabit, quam ii, qui ne otio pereant, deambulando subinde locum mutant.

Palaestram non usque adeo damnamus, aliter tamen pronunciaturi, si non videremus quosdam praedivites constanter abhorrere ab eo labore, qui communem vitam iuvat. Christiani tamen hominis fuerit ab armis prorsus abstinere, quoad per Reipublicae statum et tranquillitatem licet. Nam deus qui David armorum rudem contra Goliath funda proficiscentem victorem reduxit, et inermes Israëlitas ab imminente hoste servavit, nos etiam indubie servabit, aut si aliter ei visum erit, dexteras armabit: ipse enim docet manus nostras ad praelium. At si omnino statutum est palaestram quoque experiri, hic unicus sit scopus, ut patriam velimus, ac eos quos deus iubet, tueri.

Velim itaque cunctos, praecipue tamen eos qui officio verbi dei destinandi sunt, non aliter putare, quam quod una solaque priscorum Massiliensium civitate potiri queant, qui neminem in civium numerum censebant, qui nihil artificii nosset quo victum pararet: hoc enim pacto fieret, ut otium omnis lasciviae seminarium exularet, et corpora nostra longe salubriora, diuturniora, robustioraque evaderent.

PRAECEPTIONUM ULTIMARUM APHORISMI.

Principio ita secum reputabit ingenua mens: Christus sese pro nobis exposuit, nosterque factus est, ita et te oportet omnibus expositum esse, non te tuum putare, sed aliorum: non enim ut nobis vivamus nati sumus, sed ut omnibus omnia fiamus.

Solas igitur, iustitiam, fidem, constantiam a teneris meditabitur, quibus Reipublicae Christianae, quibus patriae, quibus sigillatim omnibus sit profuturus. Languidae mentes sunt, quae hoc solummodo spectant, ut sibi tranquilla vita contingat, nec deo tam similes, atque eae quae omnibus suo etiam cum periculo prodesse student.

Hic tamen provide custodiendum erit, ne quod ad gloriam dei, patriae, omniumque utilitatem suscipitur propositum, a diabolo aut philautia vitietur, ut quod aliorum gratia suscepisse videri volumus, ad nos tandem trahamus: multos enim videre licet, qui ab initio recta feliciter incedunt, post pauca vero a vana gloria omnium bonorum consiliorum peste in transversum aguntur.

In secundis et adversis aliorum, non aliter se geret, quam si sibi ipsi accidissent: si alii secunda evenerint, sibi evenisse putabit, aeque si adversa. Rem etenim publicam unam, veluti domum ac familiam, existimabit, imo unum corpus, in quo membra ita simul gaudent, moerent, ac se mutuo iuvant, ut quicquid uni acciderit, omnibus acciderit.

Ad hunc modum gaudebit cum gaudentibus, flebit cum flentibus: omnium enim eventus suos putabit. Adde quod, iuxta Senecae verbum, cuivis potest contingere quod cuiquam.

Neque hos affectus, gaudium et moerorem, ita praestandos esse docemus, ut vulgo mos est: non enim volumus, ut secundis rebus exultemus, et adversis desperemus, sed posteaquam sine his aliisque affectibus nunquam sumus, ita, si sapiamus, temperemus, ut a decoro nusquam recedamus. Gaudebimus ergo de aliorum felicitate aeque ac de nostra, nec aliter contristabimur, hoc est, moderate omnia feremus.

Ab his coetibus quo vel promiscue vel publice convenitur, quales sunt propinquorum nuptiae, et annui tum ludi tum feriae, non sollicite arceo, quod Christum videam nuptiarum aliquando partem non ingratissimam fuisse. Magis enim nobis probatur, si, quod omnino fieri oportet, in publico fiat, quam si in angulis aut ganeis: testium enim multitudo quosdam vehementius terret quam propria mens, et omnino deploratus erit, quem publice indecore se gerere non puduerit.

Ex publicis congressibus semper aliquid boni auferre contendet, ne, quemadmodum Socrates querebatur, semper deterior domum redeat. Observabit, si quis in publico verecunde se gerat, et imitabitur: si contra impudenter, despuet.

Hoc autem cum aegre qui maturrimi sunt praestare possint, suadeo quam rarissime fieri potest in publicos coetus coire: et si omnino insaniam sociare oportet, mox nos ipsos repetamus: desertioni facile praetexitur causa, cui adquiescant ii, qui nos bonis studiis semper intentos esse norunt.

In rebus asperis laxis frenis adcurrere decet: hic primum postremumque esse praeclarum est, hic tendi nervi debent, considerari malum, tractari, amoveri, consilium dari.

Parentes secundum immortalem deum summo in precio habendos esse apud infideles quoque receptum est. His igitur ubique cedendum est. Et si quando se non ex sententia Christi, quae et nostra est, gerunt, non est importune illis obluctandum, sed quod dictum factumve oportet cum mansuetudine summa proponendum: quod si recipere nolunt, potius deserendi sunt, quam contumelia afficiendi.

Iram ex calida causa nasci perhibent Physici: cumque haec aetas sit calidissima, diligenter ab illa cavendum est, ne quicquam ex eius impulsu, vel dicamus vel agamus. Suspectum esse debet quicquid in mentem venit, hoc affectu fervente.

Calumniam, si devorare prae amaritudine prorsus non possumus, ad iudicem aut magistratum referri oportet: nam convitium pro convitio reddere, et contumeliam regerere in eum qui dedit, aliud non est, quam talem fieri, qualis is est quem damnas.

Lusus cum aequalibus suo tempore permittimus, sed doctos tantum et ad corporis exercitium utiles. Docti sunt, certare numeris, quod Arithmetice docet, aut locationibus, quod latrunculorum excursiones et cunctamina, stationes quoque et insidiae: Is enim ludus prae omnibus docet, ne quid temere suscipiatur: modus tamen interim in eo servandus est: fuerunt enim qui posthabitis seriis huic uni haererent. Subcisivis

tantum horis haec obiter tractanda permittimus. Talorum tabularumque, quas cartas vocant, ludos, εἰς κόρακας relegamus.

Corpus exercebunt, cursus, saltus, discus, palaestra, lucta (qua vero parcius utendum est, nam saepe in serium abiit) lusus apud omnes fere gentes usitati, sed apud maiores nostros, Helvetios dico, usitatissimi, et in varios eventus utilissimi. Natationes paucis video esse proficuas, tametsi nonnunquam iuvet membra in flumen suspendere, piscemque fieri: utiles tamen ad quosdam aliquando casus fuere. Natavit ex Capitolio qui Camillo nunciaret miserabilem avarae Romae statum. Chloelia membrorum remigio ad suos remeavit.

Conversatio universa simul et oratio talis sit, ut eos, quibus cum vivimus, iuvent.

Alium si obiurgare oportet, tam cordate, tam salse, tamque festiviter id fiat et consulte, ut vitium propellamus, hominem autem lucrifaciamus, arctiusque nobis iungamus.

Veritatis studium tam constans et unicum esse oportet, ut semper tum nostrum tum aliorum sermonem ita expendamus, ne quid doli vel commenti admixtum habeat: debetque bona mens non alia sibi causa magis displicere, quam si vel invitae solummodo quiddam mendacii excidisse deprehenderit: taceo quanto illam deceat pudore confundi, si se tam levem ac vanam invenerit, ut vel ipsa cudat, vel ab aliis cusa reddat. Veritatem enim quisque cum proximo loqui iubetur. Christus veritas est, Christianum igitur oportet veritatis esse tenacissimum. Vir duplici animo inconstans est in omnibus viis suis. Nihil tuto ei committi potest, qui lingua variat. Oratio cordis est nuncius: proinde si haec fuerit vana, mendax, inconstans, certissimum signum est, pectus longe peius habere. Adde quod mendacium aliquandiu, sed perpetuo latere non potest: Unde stultum fuerit malitiam domesticam latendi spe, vel alere vel solari.

Quod de veritatis studio diximus, in actionibus cunctis observandum est, ne scilicet ficte quicquam agamus, ne frons, ne oculi, alios se esse mentiantur, quam cor ipsum, actionum omnium fons, est.

Incessus quoque ascitus argumenti satis praebet, qualis vir sit, qui aliter incedit atque ingenium flagitat, nempe vanus et mente prostibulari.

Quid multa? huc omne studium accelerandum est, ut Christum adolescens quam purissime hauriat, quo hausto, ipse sibi regula erit. Recte faciendo nunquam concidet, nunquam extolletur: augescet quotidie, sed sibi decrescere semper videbitur: promovebit, at postremum se esse ducet omnium: bonum erga omnes operabitur, sed non imputabit quicquam: sic enim Christus fecit. Absolutus igitur erit, qui Christum unice statuerit aemulari.

Haec sunt, elegantissime Gerolde, quae ad educandos ingenuos adolescentes profutura duximus, quamvis ita sint confuse tradita, ut ne indicari quidem opus fuerit, oculis enim omnium facile patet. Tu vero ista tecum saepe voluta, et quod hic calamo rudi delineatum vides, moribus exprime: ita enim fiet, ut quae hic ordine ferme nullo effusa sunt, tute factis in ordinem pulcherrimum cogas, et huius formulae spirans ac vivum exemplar fias. Quin constantius dicam, fieri nequit,

ut non aliquando absolutior evadas, quam nos verbis adsequi potuimus, si modo nervos omneis instanter intendas: id quod supra modum proderit ad propellendum otium, quo quidam ex recepta sed pessima consuetudine usque adeo impudenter in ipso vitae limine torpent, ut videantur non aliud fieri cupere, quam fuci et vitiorum omnium lernae. Tibi autem

Utendum est (ut ille inquit) aetate, cito pede labitur aetas:
Nec bona tam sequitur, quam bona prima fuit.

Christiani hominis est non de dogmatis magnifice loqui, sed cum deo ardua semper ac magna facere. Perge igitur, optime adolescens, genus, formam, patrimonium, quae tibi omnia magnifica contigerunt, hisce veris ornamentis clariora reddere: minus dixi sola ista ornamenta putare, illa vero fortunae esscognoscere, deo Opt. Max. duce, qui te incolumem servet. Amen.

PRAEFATIO HULDRICHI GEMINII [1]

ad Linguarum Candidatos praefixa editioni Pindari Coeporino-Cratandrinae de anno 1526 et Epistola eiusdem ad Lectorem editioni illi Epilogi loco annexa.

Iacobus Ceporinus (Wiesendanger) filius agricolae satis locupletis Dynhardii in pago Turicensi natus erat a. 1499. atque ex academiis Coloniensi, Vindobonensi et Ingolstadiensi philologus haud mediocris evaserat. Domi redux pastores in vicinia habitantes linguas Graecam et Hebraicam docuit. Deinde ab inclyto typographo *Andrea Cratandro* Basileae ad plagulas corrigendas et officinam dirigendam adhibitus est. Denique a. 1522. Zwinglius eum Turicum vocavit ut munus veteris Testamenti interpretandi susciperet, cui muneri Canonici emolumenta addebantur. Sed iam vicesimo die mensis Decembris a. 1525. egregiae spei iuvenis obiit cum magno omnium luctu. Composuit Grammaticam Graecam, qua per multos annos praeceptores Turicenses utebantur, atque aliquot scriptores Graecos edidit additis commentariis doctissimis. Pindari carmina, quae Cratandro socio edidit, anno demum 1526. post eius mortem e prelo prodierunt. A Zwinglio Ceporinus precibus impetraverat, ut et praefationem adderet et epilogum. Mirum est quod neque Conradus Gessnerus neque Io. Iacobus Frisius in Bibliothecis suis, in quibus omnes reliquos viri libros notabant, huius mentionem faciunt, etsi a. 1556. altera editio prodiit. Erasmus Schmidius, qui a. 1616. Pindari Carmina edidit, auctarium Zwinglii addidit, et *Uldricus* ad calcem Vitae Ceporini in Miscellaneis Tigurinis T. III. p. 357—372 separatim typis excudendum curavit.

A.

PRAEFATIO HULDRICHI GEMINII

ad Linguarum Candidatos, praefixa Editioni Pindari Coeporino-Cratandrinae.

Pindarum quisquis studet, ut ab Horatiano carmine ordiar, *commendare*, *ceratis Daedali pennis nititur*, optime Lector, Quum enim laudem eius a coeli plaga inferorumque abyssis, quo Lyrae ipsius vox penetravit, colligere necessarium sit, non feret alarum mitis cerae glutino concinnatarum opus, nec superum ardores, nec inferorum faces. Unde qui tam immanem gloriam complecti tentabit, *vitreo*

---

[1] Zuinglii.

daturus est nomina Ponto. Equidem ingenue fateor, *Lyricorum omnium* (dicerem libentius *Poetarum*) facile principem, indignum esse, ut alterius, quam summi alicuius eloquentissimique viri praeconio laudetur, nedum nostro: cui vix tantulum suppetit, ut altissime positum poema suspicere queam. Quum vero *Iacobus Coeporinus*, homo ad nihilum aliud natus, quam ad erudiendos illustrandosque, tum vetustissimos, tum eruditissimos authores, tanta instantia urgeret, ut suo nomine in Pindari Olympica, Pythia, Nemea, et Isthmia, quae *Cratander* homo vigilantissimus excuderat, praefarer, non debui optimo viro negare, quod tantopere orabat, etiamsi non ignorarem, cui me ludibrii aleae committerem. Ad rem enim facturum fore ratus est, si ante Pindaricae Lyrae sonum, ad quem Musae prae omnibus laetae ac gratae in chorum coeunt, praesultor aliquis egregie ineptiret: qui sibi tamen videretur omnia acu tangere, quo deinde inusitatum hoc et inedicibile poetae decus maiorem admirationem inveniret. Homo Hercle vehementer ad gratificandum spectatoribus intentus: citra lusum enim nostrum, iamiam secum Pindarus amoenitatem attulisset, ut capere labor fuisset. Attamen quocunque consilio ille nobis persuasit, paruimus: imo si nudum saltare praecepisset, obtemperavissemus. Quoniam autem translatitium omnibus est, Autorum vitam imprimis narrare, redigemus et nos *Pindari* nostri vitam in compendium ex *Suida.*

Pindarum Thebis natum esse, omnes consentiunt, parentibus non usque adeo claris: quod hinc patet, quod alii alios homini adsignant, divina nusquam cessante providentia: ne imaginibus, aut sanguini tribuamus, quod illius est bonitatis. Rari enim admodum fuerunt claro sanguine creti, quibus simul ingenium sit, ac eruditio data. Discipulum aiunt cuiusdam foeminae Myrtidis fuisse. Liberos treis habuit, marem unum Diophanton: foeminas duas, Eumetem, et Protomacham. Natus est autem circa sexagesimam quintam Olympiadem. Xerxe Graeciam infestante, annos erat natus quadraginta. Quumque annum quinquagesimum quintum ageret, voti compos, quo perpetuo optaverat, pulcherrimum sibi finem donari, animam reddidit frequentissimo theatro, reclinatus in amantissimi Theoxeni genua. Scripsit autem Dorica dialecto Olympionicas, Pythionicas, Nemeonicas, Isthmionicas: quae quidem victoriae reliquae nobis factae sunt. Aliorum operum eius nomina, si placet nosse, e Suida petenda sunt. Fuit Pindarus non minus dextero ac sancto, quam erudito amoenoque ingenio. Eruditio autem tanta fuit hominis, ut hac in re nemo videatur ei anteferendus esse, quod istae victoriae probant: in quibus alicubi subindicat, sua non temere citra interpretem intellectum iri. Utitur ille aut non vulgaribus verbis, sed de sublimi petitis: aut si utitur, sublimia reddit. Quod magnifice de illo praedicat *Horatius*, quum canit: *Dircaeum olorem multa aura vehi.* Horum autem verborum tam docta est apud illum compositio, tam tersa contrectatio ac mundities, ut quicquid illis aut addas, aut adimas, pecces in eruditionem ipsam semper: semper cadit illi feliciter *Iovis tessera.* Amoenitatem vero quis digne laudabit? Exoleta novat, reficit, ac oculis velut praesentia subiicit: priscis honorem ac maiestatem induit: praesentia non supra modum extollit, neque invidiosius

deprimit. Quis cultus similium ac dissimilium? quanta eorum ubertas? quanta translationum vis? quam proprius earum usus? quam in loco semper adsunt? sententiarum vero quam anxia cura, ne uspiam desint? quae harum est cum autoritate coniuncta familiaritas, *καὶ τὸ ἐπιεικές*? Dexteritas ea est, ut parem haud invenias: nullos enim sic laudat, ut quid illis vitii haereat, non civilissime taxet. Si quos maiorum criminibus innocentia probitateque mederi videt, praesentem virtutem sic defendit, ut tamen aculeos domesticae infamiae non eximat, quo currentem nunquam non hortetur. Si alicuius maiores novit iustitiam cum audacia mutavisse, sic utranque non tacet, ut simul vitiorum horrorem cum virtutum facibus inferat. Sanctitas ea, ut nusquam petulantia, nusquam procacitas linguae adpareat: nihil salax aut lascivum excidit, quo pectoris aliquod *ὕπουλον* deprehendere queas. Ut de Pindaro, si de quoquam, dicere liceat, pectus habuisse veri, sancti, honestique studiosissimum, ac incorruptissimum. His limpidissimis gurgitibus volvitur Pindarici carminis flumen. Nihil est in omni opere, quod non sit doctum, amoenum, sanctum, dextrum, antiquum, prudens, grave, iucundum, circumspectum, et undique absolutum. Loquatur licet de Diis magnifice, at non sentit de vulgo multitudineque eorum magnifice, sed saepenumero unicam istam divinam coelestemque vim inducit. Imo quemadmodum *divus Augustinus* alicubi et *Origenes contra Celsum* de Philosophis ac Poetis sentiunt: quod tametsi verbis ac nominibus plurimos Deos canere viderentur, re tamen ipsa non ignorarent, unicam esse oportere vim, quae Deus est: sic nostrum videmus, etiamsi Deos vocet, quod unicum tamen esse credat. Id quod ne Hebraeis quidem alienum est. Quum enim אלהים, hoc est, *Deos* perpetuo vocent unum istum conditorem rerum omnium: nihil est incommodi, nihil flagitii, si plurimorum numero gentilium tum poetae tum philosophi unicum Deum adpellent: fit enim istud nonnunquam ornatus gratia, amplitudinis ac venustatis. Neque etiam Latini desinunt, *Camillos*, *Cicerones*, *Fabios*, pro *Camillo*, *Cicerone*, *Fabio* iactare. Longum fuisset omnium, quae iam de Pindaro inope stylo praedicavimus, exempla producere: avido lectori ista committimus, cui et has faces indimus, ut ad hunc thesaurum confestim properet. Quantum autem hoc putas allaturum esse, optime Lector, quod mea quidem sententia nullus Graecorum autorum sic videtur prodesse ad sacrarum literarum intellectum, atque hic noster, praesertim si abstrusissimas Hebraeorum cantilenas, ac hymnos, quales Psalmi sunt, Iobi Carmina, ac aliorum hinc inde numeris ligatae laudes, cupias penitius habere perspectas? Sunt enim apud istos coelestes cantilenae, quae ut pietate ac spiritu omnes antecellunt, sic sunt eruditione, gravitate, amoenitate, nullis, ne nostri quidem huius carminibus inferiores. Quales ferme omnes Davidicae, praesertim tamen CIII. (CIV.) Psalmus et XLIII. (XLIV.) filiorum Core, quae tales cantilenae sunt, ut satis admirari nequeas. Quamvis ipsi nostros thesauros interim strenue ignorantes, ubicunque ad tam excelsam eruditionem non attingimus, mysterium aliquod fingendo: nobis non aliter placemus, quam sophista quidam olim, qui quum in Schola quadam pollicerelur *Aeneida* se *Virgilii* praelecturum, ubi iam ad rem prae-

sentem esset ventum: aderant enim haud parum multi, qui cupiebant, quid montes parturirent videre. Ibi festivus homo, quum aliquot carmina legisset, tandem sic ridiculum murem eiecit: *Arma virumque cano: est propositio de copulato extremo: et Arma virumque non est subiectum, sed praedicatum: et istud pronomen Ego est subiectum illius verbi cano, et est propositio sic: Ego cano arma et virum.* Coepitque sese homo mirari, ac palam testari, Virgilium hactenus a nullo mortalium sic enarratum esse. Quae levitas ferme nostrae φιλαυτίᾳ similis est, qua nobis persuasimus, confestim ut stylus aliquis contigit, quantumvis ieiunus et scaber, quod iam ad gravissima quaeque explicanda simus idonei: quumque id quod exponimus, ipsi non intelligimus, fingimus quod exponamus, ac piissimis eruditissimisque ποιήμασι obtrudimus, ut autoritatis nonnihil nostra ab istis indipiscantur. Et si moneas, *ne extra oleam*, aut *ne sutor supra crepidam*: protinus illorum πρόμαχοι exiliunt: *Attamen pia sunt.* Quibus inquam, quid tum? Et *Pauli ad Romanos Epistola* pia est: at non exponit Psalmum istum: *Deus repulisti nos.* Scribant de Christiana religione, quam immanes velint commentarios: at de quibus strenue ignorant, loqui ne praesumant. Hoc enim de Hebraeorum poematis adfirmare ausim, tantum esse illis tum eruditionis, tum gratiae, quantum est sive apud Pindarum, sive Horatium. Quod autem a vetustatis scientia tantum absumus, quodque malumus nostra legi, quam aliena discere, fit ut triduani graculi (Graeculi volebam dicere) sanctissimis Hebraeorum Poetis sensus extorqueamus ab eorum mente alienissimos. Has ergo calamitates audaciae inscitiaeque ut aliquando pellamus, hunc nostrum Poetam adeuntes, aurum, argentum, vestem, ut mutuo det oremus, quibus ille abundat: nec nobis invideat, quo et suis vocabulis discamus veritatem aliquando nominare, et vestem eius sic agnoscere, ut si superne eius cognitio negetur, propius tamen agnoscamus, quum vestitum eius probe agnoverimus. Nihil moveor Criticis istis, quibus ipsa munditics immunda est, quique arbitrantur flagitium summum esse, *si gentilem Poetam legas:* nam ego non quemvis legendum propono, sed eum, *in quo periculi nihil, frugis autem multo plurimum indipisci queas: quique unus plus ad Hebraeorum scripta investiganda prodest, quam reliquorum Poetarum, tam Graecorum, quam Latinorum omnium, omnia monimenta.* Habuit enim vetustas sua quaedam, sicut et quaelibet aetas habet, quae non temere capias, nisi cum priscis versatus sis: exolescunt enim omnia, non modo Linguae, vestitus, ingenia, sed homo ipse quantus quantus est. Quum autem hic noster, non locutiones, sed ingenium habere videatur sanctissimae aetati simile, de quibus post libri calcem paucula dicturi sumus, tuto ad illum pium auditorem mittimus: imo adseveramus, pietatem ipsam ad eum secure mitti posse, tam sancta et casta sunt omnia. Tu interim *Coeporini* nostri diligentia, Cratandrinisque sudoribus fruere: multo enim emendatior prodit, quam hactenus. Offendes fortasse mendula, quae una litera aut altera constent: id vero te nihil moveat, connivent ad ista nonnunquam oculi sua sponte, dum mens sententiam percepit. Vale candide Lector; detque Deus Opt. Max. ut gentili poeta magistro

discas veritatem cum apud Hebraeos intelligere, tum apud omnes gentes amoenissime exponere. Ex Tiguro XXIV. die Februarii, MDXXVI.

B.

EPISTOLA
Huldrichi Geminii ad Lectorem editioni Coeporini Epilogi loco annexa.

Nolui, candide Lector, funestam reddere orationem, quam Pindari victoriis praefixi, quo tibi laeta manerent omnia: nunc autem quod dicturus sum, usui futurum esse spero. *Iacobus Coeporinus*, homo monstrose laboriosus, qui, dum viveret, hoc extorserat, ut me pollicerer in Pindarum praefaturum, antequam id praestarem, spiritum effudit, mense Decembri, anno MDXXV. Sic enim visum est illi, qui principum quoque spiritum aufert. Vir dignus longissima vita. Eas enim disciplinas, quas Mathematicas vocant, ex Graecis fontibus hauserat. In Hebraeis multa ex *Capnione* (viro cunctis seculis admirando, qui Latinorum loris atque regulis Hebraeae linguae stridorem adsuefecit primus,) didicerat: multa cum illo contulerat, ut qui Graecis literis rependere posset, quod ex Hebraeorum adytis ab illo accepisset. Dionysium restituit Graecis suis: *Pindarum* correxit: Grammaticas praeceptiones adeo probe tradidit, ut qui diligenter legerunt, palmam ei offerant: praesertim quod ad *διαλέκτȣς* attinet. Mores fuere graves: eloquentia iusta, tam etsi facundia negaretur, eruditio insignis: Mentis habitus undique candidissimus: studium omne, ut timeretur is, qui orbem aliquando iudicaturus est, ut coleretur iustitia inter mortales, veritas et pax non diutius exularent. Hanc arborem recens natam (annum enim egit vigesimum sextum, quum illi dictum est: *Morere*) coelestis putator, invitis Musis, earumque cultoribus incidit: sive quod satis illi laborum videret esse haustum, sive quod in Coelites decreverit connumerare. Negligens erat valetudinis, quumque ipse creberrime non monerem, sed obiurgarem, ut eam paulo attentius curaret, neque a mensa per horas treis quicquam grave aut abstrusum ageret, (sic enim ipse quoque a Medicis, quamvis sero, didiceram) respondit, se non posse lectione offendi: nulla re enim uberius impensiusque delectari, quam perpetua lectione. Debent ergo huius exemplo, boni studiosique tum iuvenes, tum adolescentes valetudinem curare: neque istos audire, qui divinam providentiam ludos faciunt, quum dicunt: si ille volet ut vivam, vivam pullis non edentibus. Nam et quum valetudinem curas, Deo curas, Dei ordinatione curas: non loquor de portentosa quorundam cura, qui quoties oletum faciunt, aut metu concidunt, aut laetitia exanimantur: sed de *διαίτης*, quam *Socratem* perhibent omnibus Medicorum omnium artibus praetulisse, et *Paulus Timotheo* suo non veretur praescribere. Publicum bonum est vir bonus ac prudens: in rem ergo publicam peccat, qui se negligit. Habent Latini praeclarum proverbium, nisi tu mavis sententiam: *Mature fias senex, si vis diu esse senex*: qua illi sententia mature admonent curari debere *διαίτην* et

valetudinem. Id autem dico, maxime illorum causa, qui se dum adhuc in herba sunt, sic studiis macerant, ut quum iam optimi de eis fructus demetendi essent, ipsi a morbo aliquo, febri et paralysi, aut alia peste metuntur, non aliter quam quum grando, aut aliud vitium falcem nostram frustratur. Nos modum et medelam bene natis ingeniis quaerimus, non gulae otiique lenocinia.

Attigeramus autem in Epistola praelocutoria nonnihil de vetustate, quod illa quiddam peculiare habuerit, quod hic noster commodum prae se ferat. Offendimus innumera in sacris literis *apud Septuaginta, ut nunc habent Graecae Literae*, nonnihil diversum in sensum (ut videtur) translata, quum tamen diversitas alicubi non sit, sed verborum mutata vel exoleta significatio. Exempla quaerendi non fuit locus; unum et alterum tamen dicam. In *Exodo* legimus טפים, hoc est, *parvulos*, ut nostri exponunt, *egressos esse cum adultis filiis Israel.* Ibi *septuaginta* perpetuo habent ἀποσκευήν, quod est, *adparatus vel suppellex, sarcinae et commeatus:* sed diligentius animum advertentibus mox adparet, sicut Hebraeis טף non modo *infantem*, sed etiam *reliquam imbellem turbam* significare deprehenditur: sic *Septuaginta* ista voce ἀποσκευῇ usos esse *pro ea turba, quae potius vehebatur, quam proficisceretur.* In *Actis Apostolicis* legimus de Petro, quum in subtectanea domus parte oraret, quod fame adactus voluerit γεύσασθαι, id est, *gustare*: quarum vocum utraque, tam Graecis quam Latinis, fortasse exoleta videtur: sed tamen illa tempestate utrique eis usi sunt pro *tentare:* sicut aliquando observavimus, praesertim in *Orationibus Ciceronis.* Adducemus nunc quaedam, quae apud hunc nostrum disces, aliam aliquando habuisse significationem, vel certe latius patuisse, infinita habituri, si licuisset per otium repetere, quae observaveramus, dum Coeporinus praelegeret. Habet *Paulus ad Ephesios quarto:* ὁ κλέπτων μηκέτι κλεπτέτω, id est, *qui hactenus furatus est, iam ne furetur.* Ubi dubium non est, Paulum κλέπτειν pro *furari* non usurpasse, sed pro νοσφίζειν, quod est *fraudare, subtrahere, et ficto aliquo liciti titulo adimere*, quomodo solent negotiatores mercaturis, aliique in aliis contractibus semper aliquid fraudis miscere. Non enim est verisimile, Paulum de violento furto isto loquutum esse, de quo Iuris periti multa: quasi vero apud Ephesios Ecclesia ex furibus et latronibus coierit. Sed voluit monere, ne frater fratrem circumscriberet, falleret, aut circumveniret ulla ratione: et ii qui in eiusmodi negotiis hactenus versati essent, iam fallere saltem desinerent. Hoc modo invenies κλέπτειν acceptum esse *Pindaro.* Locus non occurrit [1]), sed invenies haud dubie. *Eadem Epistola Capite quinto* vetat Paulus εὐτραπελίαν inter sanctos nominari, quae in *Urbanitatem aut Comitatem* apud Latinos vertitur. Vetus interpres in *Urbanitatem* transtulit. Quum tamen Paulus alibi doceat, *sermonem nostrum esse debere sale conditum:* id quod ad Romanos sic servavit, ut etiam videatur nigro sale sermonem suum condivisse, quum κατοχευτικοῖς hominibus turpissimam impuritatis mercedem, qua

---

[1]) Vide Olymp. ϛ. β. 2. Pyth. γ. β. 12. δ. ε. 7. et Nem. ζ. β. 3.

frustrabantur propter aequas vices, ad hunc modum obprobrat: *ὁμοίως τε*, inquiens, *καὶ ὁι ἄρσενες, ἀφέντες τὴν φυσικὴν χρῆσιν τῆς θηλείας, ἐξεκαύθησαν ἐν τῇ ὀρέξει ἀυτῶν εἰς ἀλλήλυς, ἄρσενες ἐν ἄρσεσι τὴν ἀσχημοσύνην κατεργαζόμενοι, καὶ τὴν ἀντιμισθίαν, ἣν ἔδει, τῆς πλάνης ἀυτῶν ἐν ἑαυτοῖς ἀπολαμβάνοντες.* Unde non videtur esse verisimile, quod civilissimus Apostolus *Urbanitatem* vetuerit, sed priscis est *ἐυτραπελία* pro *scurrilitate* quoque usurpata, quod aeque apud hunc nostrum [1]) invenies.

Iam locutiones quaedam communes sunt Hebraeis cum omnibus Graecis, maxime tamen cum hoc nostro. *Gloriam Domini* saepenumero Hebraei dicunt pro *Domino*: sicut Graeci dicunt *robur Herculis* pro *Hercule*: *Achillis hastam* pro *Achille*. Pariter iterum Hebraei *sagittam Ionathae* dicunt pro *Ionatha*. Psal. CV. (CVI) habent Hebraei: וימירו את כבודם בתבנית שור אכל עשב hoc est: *Et mutaverunt suam ipsorum gloriam in similitudinem vituli comedentis foenum.* Ubi *suam ipsorum gloriam*, videlicet Hebraeorum, pro *Deo* posuit, qui *illorum ac omnium est gloria.* Quales locutiones et apud hunc nostrum invenies. *Filios hominum* pro *hominibus* dicunt Hebraei: Graeci *ὑιὲς ἀχαιῶν* pro *Achivis*. *Filiam Hierusalem* aut *filiam Zion* dicunt Hebraei, et *filia Babylon* Psalmo CXXXVI. (CXXXVII) *O filia Babylon vastatrix.* Aeque *Pindarus* omnes fere urbes *Nymphas* facit aut filias. Quid pluribus opus est? Nullus Pindaro apex inconsulto excidit, nullus non plurimum prodest ad veri honestique usum. Proinde (candidissime Lector) obtinuit hac nostra vere tempestate mos, nihil quam quod recens natum sit, legendi; quod quid aliud est, quam adfectibus duci? Quotus enim quisque est, qui veri mentionem usque adeo pure sancteque tractet, ut palpum non obtrudat, suum non faciat, aut denique aliqua parte praeter dignitatem ante absolutam causae cognitionem tumultuetur? Huic autem scriptorum generi alligatum esse, annon clarissimum indicium est adfectibus duci? dummodo ipse citra iudicium legas, et ab autoritate hominum potius, quam a veritate pendeas. Iacent interim optimi autores, tum Graeci, tum Latini, ex quibus umbram quandam eruditionis hauseramus: sed eheu inauspicate, neque aliter quam *Aquinates*, *Bernhardi*, *Gregorii*: *qui ad hoc scripsisse videntur, ut optimos autores contemptos ac obscuros redderent.* Veruntamen quid effecerint, iam patet. Sic videre licet rusticam (qui hodie scribimus) partem, in hoc unam dedisse linguis, aliisque disciplinarum generibus operam, ut aliquando prodiremus autores, et dictata magistri: praecipuum autem studiorum omnium usum ac fructum sic vel non curantes, vel frigide tractantes, ut de quibusdam obscurum sit, an recti honestique scopum unquam intuiti sint. Quum enim videamus, orbem ferme universum esse doctissimum et facundissimum, et simul omnia scatere tumultibus, seditionibus, caede, vi, audacia, impudentia: cui iam esse obscurum potest, huc multorum tetendisse studia, ut se pro magnis autoribus venditarent, potius quam ingentia mortalibus beneficia praestarent? Qui, quot quantique sumus,

---

[1]) Pyth. *α. ε.* 10. *δ. ε.* 8.

stulto tamen Hercule sumus longe inferiores. Qui tametsi communem hanc stultitiam orbi deberet, ut a faemina non luderetur, sed perderetur: attamen ubi clades aut pestis aliqua grassabatur, illo se conferebat, ac malo opponebat: operamque dabat, ut pax, otium, virtutis studium, vitiorum odium cresceret. Nos plerique ad excitandas discriminosas procellas prompti sumus, non tamen perinde quo pacto restingui debeant incendia gnari. Haec, *Optime Lector*, non debes huc rapere, quasi bonis magnisque nominibus cupiam aliquam labem adspergere, aut te praesentia nihil curare: sed optima tibi, et te optimis optamus esse familiarissimum, et ut praesentia non supra modum admireris, ne circumforaneus oscitator fias, unum hoc spectans, quid novi adferatur, quo (*ut in Actis legimus*) vitio Athenienses aliquando aegrotabant. Sunt, mihi crede, valde multa ἐφήμερα, quae nos iis anteferimus, quae ante tricena secula sunt condita, et forsan ultra tricena sunt duratura: non alia ex causa, quam quod quisque, ut apud se statuit, ut adfectibus est ablatus, sic iudicat, iudiciumque suum sacrosanctum est. Veruntamen quum aliquando Dei munere oculos recipimus, eosque ad vetustissimos scriptores attollimus, iam videntur lux et virtus in conspectum venisse, ob oculos versari, imo adstare, sentiri, teneri: neque aliae esse causae, cur hodie, quum tam multa pariuntur, nihil aeque sanctum ac eruditum atque apud priscos prodeat, quam quod implumes e nido nos emolimur, dum adhuc ventorum vim non possumus excipere, neque superare. Unde nobis nostrisque scriptis merito, quod Icaro accidit. Sanctissima res mihi semper visus est quisque antiquissimus poeta, sed is qui *omne tulit punctum, qui miscuit utile dulci;* cum quod veri honestique faciem suis coloribus aptissime distinguerent, gratiamque nativam ei conciliarent, non tam imperiose quam Rhetores, sed iucunde ac familiariter: tum quod vitia longe magis ridicule exibilarent, quam isti. Tyrannos nemo increpare audebat, nemo a scelere dehortari: dicam apertius, nemo palam admonere quacunque in re, quantumvis aut necessaria aut honesta. Ibi *candidus olor* omnia sub eam horam congerebat, qua moriendum est: tumque omnia suavissime modulabatur, quo venturi saltem principes vindicem aliquem Poetam timerent, ne quod liberet, designarent. *Innocens hominum Genus est bonus Poeta, ac mortalibus nihil aeque utile. Malignos istos, maledicos et non tantum malos, sed etiam pessimos Poetas, qui scurrarum more omnia proscindunt, omnia infestant, bene nata ingenia dehonestant, non commendo, sed veluti pestem humanae vitae fugiendos esse censeo.* Vale Lector mi, Pindarumque *versato nocturna diurnaque manu*, et ubi haec nostra boni consulueris, honestissimis tuis deliciis laetus fruitor. *Ex Tiguro, Calendis Martiis, Anno Salutis sesqui millessimo vigesimo sexto.*

DE GESTIS INTER GALLOS ET HELVETIOS
AD RAVENNAM, PAPIAM, ALIISQUE LOCIS,
ET CONVENTU APUD THERMAS HELVETICAS ANNO 1512.
RELATIO UDALRICI ZWINGLII.

Hanc narrationem Zwinglius scripsit die 4. mensis Octobris a. 1512, eamque per fratrem suum Iacobum Vindobonam ad Ioach. Vadianum misit, quo duce frater litteris operam daturus erat. (Vid. Epist. I. p. 7.) E patrio more Zwinglius sacerdos castrensis cum Glaronensibus affuit exercitui, quem Helvetii aestate a. 1512. Papae contra Gallos auxilio miserunt. In hoc libro breviter et festinanter res in hoc bello gestas describit, quatenus eas cognoverat. (Cf. pleniorem narrationem in Glutz, Geschichte der Eidgenossen pag. 259—284. et Germanicam huius libri interpretationem cum explicationibus in Schulers Bildungsgeschichte Zwinglis pag. 79—93 et 327 No. 85.)

Hic Zwinglii liber typis excusus est in collectione: Germanicarum rerum Scriptores varii T. III. ex bibliotheca et recensione *Marquardi Freheri.* Hanoviae 1611. fol. p. 121—125, et in novissima huius collectionis editione a B. G. Struvio curata Argentorati fol. 1717. p. 137—145 — ex communicatione Melchioris Goldastii. Librum typis excusum cum manuscripto collectionis Simlerianae contulimus, et utrumque inter se accurate congruentem vidimus.

HULDERYCH ZWINGLI IOACHIMO VADIANO S. D. P.

Fecisti, mi Ioachime, rem te satis, me haud dignam, quando suaves nostri Arbogasti Musulas sub nostro nomine publicasti. Sed ita te facere benignissima humilitas docuit. De hoc satis. Praesentium ostensor frater mihi germanus est, non rusticae admodum indolis: quem quo Philosophiae sacris initiandum mitterem, cum mecum ipse volutarem, tu semper occurris. Eum igitur runcinis, asciis, rutabulis, per amicitiae dulcedinem precor, expolias, edoles, laeviges. Habebis scio obsequentissimum. Quod si recalcitrare fuerit ausus, nihil impediente religione carceri mancipa, donec petulantia deferveat. Habet per annos duos L. aureos: unde et parsimoniam servet oportet. Venit et alius ad te, Margarethae Scilinen filius, puer impuber, et ille item optimae indolis. Tu in omnibus eis boni semper consule. Novas res ad te scribere molienti negotia interveniunt. Tu his brevissimis contentus esto. Iamiam enim cum haec scribo, ex officina abeo. Vale et me dilige. Glaronae IV. Nonas Octobr. MDXII.

Haec explicatioribus, quando oportunitas dabitur, supplebo. Volui multa, sed non potui.

Quoniam Omaechmorum diffamia nostrorum velocibus semper evolat alis, idque quod sancte et iuste factum eventus ipse comprobat, vitilitigatorum maledicentia iniquissime pervertitur; statui veritatem status nostrae reipublicae, quo breviorem, eo integriorem, tibi Laconicōs perstringere. Primo igitur, quibus conditionibus inter beatissimum Christi vicarium Iulium secundum nostrosque confoederatos (quos eo libentius et *Omaechmos et Foederatos* vocito, quod nescio quem vappam aut stolidum, cui Pythagoreorum ferula incutienda, quod praecocibus armis linguae officium exercere est ausus, aiunt, *Proditores Conspiratoresque* nos quam confoederatos verius dici debere, memoriae commendasse. Cui vel haec Baubanticulo offa obiicienda, quoniam si a singulari consequium ad commune universaleve probat: Dicam ego, sequitur nec ne? Quendam suae patriae matricidam effecisse, ut omnes eius conuicani matricidae et sint et dici debeant. Quo quid vanius dici posses?) initum ictumque sit foedus, omittens, id satis commonstrasse fuerit, ut Francorum Rex (cui perquam impertinenter Christianissimo, quoniam Christi Ecclesiam oppugnavit, honorarium adiectitium hactenus adulatum est) Venetos diuturno bello, praeliis plurimis et iis minime ludicris fatigarit, vicerit, urbes aut diripuerit aut abstulerit: ut dein cum beatissimo Christianorum antistite comminus manum conserere, Antipapamque (ut aiunt) Cacodaemonis instinctu creare; ut Bononiam, studiorum matrem, iuris Pontificii nutricem, caeterasque nobiles urbes auferre sit ausus. Praeterito Paschate, quum Electissimus (quem nunc Christianissimum scribunt) Hispaniarum Rex Petri Lembulum fluctibus iactari, ut saluti eius timendum sit, cerneret: tum cum Ecclesiae tanto commiseritum est, ut quem tumultuarie congregare potuit, exercitum extemplo Iulianis manipulis, qui adhuc in Italia interiore post hyberna morabantur, subsidio mitteret. Is (ut est gens avida gnaraque belli) proximis Ravennam itineribus contendit. Id ubi Francorum tyrannus rescit, ingentes illico copias, quas Hispanis eorumque sociis Venetis opponat, contrahit, Ravennam mittit. Quibus postquam in conspectum venerunt, Hispani minime detrectarunt pugnam, adiuvante animum astu architecti cuiusdam Archimedicae Daedaliaeque indolis; carrulos qui falcatos leves excogitavit, quibus bombardulae singulis singulae immittebantur: eos vel manibus vel pedibus prae se agebant. Praeerat Gallorum exercitui Grandis Magister (Insubrium is est magistratus), qui prima acie lanceatos, Suevos, Vascones subinde collocat, quos equitatus haud ignobilis alarum in modum circumstat. Ipse cum triariis in subsidiis manet. Hispanorum exercitus minus erat Venetis, quoniam pauci crebris praeliis attriti superarent, mixtus scilicet iis acribus iuvenibusque: amborum tamen numerum unus exercitus triginta millium implebat. Qui quum pugnae signum datum esset, prae se actus, bombardulas igne torquentes glandes pluunt. Ibi cunctantibus lanceatis Gramaetrum inclamasse ferunt: *Ecquid morarentur? Positosne illo, ut metae in modum ferreas excipiant glandes? O utinam incunctantes confoederati nunc vos essetis, qui viso hoste in saevorum modum Leonum rugiunt, incurrunt, impetunt. Age miles, age, victoriae ne te taedeat, qui tam diu vincere consuesti, vinci*

non didicisti, fugata saepe confunde signa, ordines turba, gladios, sarissas, gessa pro glandibus inde. Qui, quum iam glandium impluvium aliquantisper exaruisset, pedem addunt. Hispani trusatiles ad id concinnatos canos incensos toto nisu in medios hostes detrudunt, quod maximo terriculo lanceatis, Hispanis spei potiundae victoriae erat. Hinc primum manus tam ardenter, intrepide, statimque conserunt, ut neutra cedens, utraque respirare saepius acies compulsa sit. Tum iterum atque iterum novis ordines substruunt, fessos subducunt, ac vulnera dando accipiendoque, solem ab ortu in occasum comitantur. Laborandum videntes Hispani se ingerunt tam atrociter, ut gladiis, ubi Mars est atrocissimus, cerneretur. Vascones equitesque mutilant, caedunt, truncant (nam lanceati dudum magna pars caesi, minor elapsi fuga erant) ut octo millia hominum caesa sint. Quod ubi Gramaeter vidit, coelum aspicere, infrendere, dicere: *aut hic me ultimus videbit dies, aut Hispanis tam incruentam non esse patiar victoriam.* Simulque equum concitat, cuncti sequuntur triarii: inque hostes temerius invectus, egregie pugnans obtruncatur: reliqui in exordinatos fugientesque, nil minus quam novum exercitum timentes, pugnant, victoriaque cum urbe exclusis longius progressis Hispanis Venetisque potiuntur. Nox praelium diremit. Maiorem haud Hannibal Italiae metum post Cannensem cladem Romanis Italisque incussit. Ita passim lugere imminens Gallorum capiti imperium, misericordiam, suppetias, solatia precari. Hunc itaque Christianorum matris statum intuentes confoederati, malo periculosoque exemplo futurum existimant, si cuilibet Tyrannorum pro rabie communem Christi fidelium matrem impune permittant incessere, sedulo raptim habitis conventibus, strenue accisas Ecclesiae Italiaeque res resarcire statuunt. Intervenit consultationi Cardinalis S. Potentianae a latere Legatus, orans ac vigore foederis obtestans, extemplo accingantur. In militem non plus aureo nummo dispertit. Res dictu incredibilis, sex diebus viginti millium electissimorum peditum exercitus scribitur, armatusque per Rhetios perque Athesim (nam et transitus clam a Caesare, quam Treverenses reliquias ut recte fierent curaret, concessus erat) et eius promontoria munitionesve (*Clausas* nominitant). Veronam lanceatis Gallisque paribus insessam contendunt, Galli, prius Omaechmi eo devenerunt, urbem deserunt. Itaque Caesar obiter, nec tamen praeter intentionem ducenties millena scuta (*Coronas* vocant) Gallorum Regi (tantum enim Caesar mutuo acceperat) suorum fuga rependit. Perquirente hostem exercitu Cardinalis S. Potentianae (Episcopus Sedunensis is est) magno honore suscipitur. Ibi de Venetorum exercitu certiores facti consultant: veniunt post brevi septingentis equitibus cataphractis, velitibus pene quingentis. Rascii ii erant, Veneti, tantoque gaudio nostrorum copias aspiciunt, ut iam nescio quid prosperitatis animus praesagiret. Pergunt igitur ad flumen (nomen quoniam non audivi, non scio) trans quod Francorum castra formidinis plena. Pons amni superstructus dissimiles ripas coniungebat, ulterior Vallesia dicitur, turres tres validissimas in ore pontis armatorum oppletas habebat, Monticulusque vicinus arcem validam valido praesidio munitam, castra tutiora reddebat. Ibi aliquandiu glandibus ultro citroque

traiectis Venetorum machinae superiores fuere. Galli arce, turribus, castris pulsi esculentorum copiam militi administrarunt. Inde cum procederent, ad locum qui *Pontevin* dicitur, Gallis praeoccupatum veniunt. Arx in fluenti medio duplici ponte utramque ripam contingit: ibi ea pontis parte praecipitata, qua exercitus veniebant, difficilem expugnationem reddebant. Ibi (ut Omaechmorum iuventus ad quaeque munia obeunda impigra est) in conspectu hostium tranaturos pontemque structuros simulant, protegentibus eos bombardis Venetis: pars Exemiorum per fluvii crepidinem descendunt, ibique nullo prohibente tranatant, naves deducunt, pontem extemplo structum transeunt: nec tamen hostem prius elapsum consecuti, praeter eum quem procul agentibus machinis legerunt. Itaque post hunc locum, captum et alium accipio firmum satis viribus, nec tamen animis. Iniustam enim causam habentibus Gallis facile lababant animi; tum quod Germanorum viribus destituti fuerant, tum quod qualem contra hostem facturi essent, modo in certamen descenderent, sciebant. Loco aequo nusquam se tuto committere prospicientes, Papiam includuntur, periclitaturi quid sors occasioque ferant. Eo quem possunt commeatum convehunt. Tunc confoederatorum impigerrimi adolescentes ingentem boum saginatorum copiam intercipiunt: quae non paucis diebus omnem exercitum carnibus aluit. Huldrych de Saxo Omaechmorum exercitus Dux, vir ad cuncta tam providens quam animosus, urbem obsidere, quoniam oppugnatio iniqua videbatur, statuit. Iamque ad Padi ripam ventum erat, ubi iterum Galli transitum prohibere tentant. Sed laboranti nihil insuperabile. Scribenda hic est res, quae quum creditu difficilis sit, vera tamen est et ludicra. Erant inter Gallos octingenti lanceatorum, reliquiae Ravennae cladis acceptae. Ii cum quidam nostratium Padum transnatassent, ut prima ligamina pontis conficiundi ulteriori ripae innecterent, erumpunt opus prohibituri. Interim autem ut omnis Omaechmorum iuventus nandi, currendi, saliendi exercitatissima est, amictu reposito nudi, sarissis innixi, Padum tranant; congressuri cum eo hoste quem ad bellicae artis perpetuum exercitium datum a Deo existimant. Bellico enim risu, quoties cum lanceatis congrediendum, moventur: nec ideo quoniam imbelles nullo labore vincantur, sed quoniam saepius eos vicerunt quam ab eis victi sunt, semperque earum partium sunt quae Omaechmis adversantur. Lanceati licet albicantia nuditate corpora videant, pedem tamen struunt, inque urbem sese recipiunt: sicque libere Padus transitus est. Urbem inde obsidere accinguntur. Paucis diebus obsessa in eum ut sequitur modum capitur. Provocationes paucae, quid futurum sit, indicant male suspicacibus animis. Franci una sex quatuor Omaechmos provocantes confessi: duo inde (res auditu iucunda) unum et eum Glaronesium evocant. Is ut homo est ferarum montanarum insecutor, bombardulam gestilem humero portabat, qua torta glande alterius morte Martem aequat, gladio alterum aggreditur: ibi inter dimicandum alter Omaechmus superveniens pene superatum Gallum conficit. Galli non moeniis, non viribus, non satis animis fidentes effugium meditantur oportunamque occasionem, per lanceatos id posse fieri prospiciunt: eos illisce alloquuntur: *Videtis optimi commilitones,*

sive casu, sive fato urgente, rem Gallorum bellicam in dies languescere. Unde fugae, cum victoriae non potest, consulendum. Videtis spem omnem desperatam. Videtis nil nos citra mortem, praeter solam fugam manere. Eia quam strenue semper navastis operam hoc die, ut herba vobis porrigatur. Vel ultimo virtutem virtuti addite: Nos quicunque gravis aut levis armaturae sumus milites, dum ea urbis pars, quae Mincium aspicit, hoste vacua est, viam, ne egrediendi facultas praeripiatur, sollicitemus, ut simul omnes saluti restituamur. Satis fuerit vincere non potentibus, vitam, ut denuo (Demosthenis verbo utar) *vincant, servasse. Machinas omnes, ne quis se prodi existimet, in vestra manu dimittimus, salus unde maxime nos respicere potest.* Creduli lanceati Gallos cum quibuslibet abire patiuntur, existimantes verbis re fidem facturos. Illi vero mox ut Mincium traiiciunt, fugae in modum acto exercitu, Lanceatos relinquunt. Quod ubi Papiani viderunt, militum cuilibet aut Veneto aut Omaechmo menstruum stipendium pollicentur, ne diripiantur. Tenebat militem cum Lanceatis pugnandi desiderium, quod et quibusdam cum sudore satietatem attulit. Erant bombardae in roborarium, aut vivarium, quod extra urbem est, collocatae. Ad eas servandas centum ex quibuscunque partibus destinati: nec dum meridies erat, quum mulieres et cives seniores, qui lanceatis minime suspicaces erant prius haberentur, scalis in muros expositis introitum militi annuunt. Accurrunt, temere satis, centum ii qui custodiendis machinis praediti fuerant, cum paucis aliis scalas conscendunt, muros transiliunt, inque ordinem inter urbem toto exercitu inscio componuntur. Pugnandi enim aviditas quemque plus ut pugnaret, quam renunciaret, afficiebat. Ibi ad unum omnes, nisi Lanceatis propter platearum angustiam simul pugnandi potestas ablata fuisset, trucidati essent. Hi machinas, illi nihil praeter portalitia arma et ardentes animos habebant; saepeque in aliquod diverticulum inclinare, dum glandes torquerentur, compulsi sunt. Maxime nitentes machinas, si quas eripere possent, eripiunt: mox duas iam ad torquendum concinnatas, quibus inversis glandes in hostem eiaculantur, retroque pedem ferre magis ac magis compellunt. Tum quidam murum conscendens inclamat victoriam, urbemque in manu esse. Exercitus vero manipulari nihil credere, prohibere ne quis muro propius accedat: astum esse: non scire quempiam amicorum in urbe esse. Demum Stentorea fracti quidam voce muros superant, Lanceatos nequicquam contra nitentes macerant, inque fluentum agunt. Quinquaginta solum vivi ex octingentis capti sunt. Interim exercitus Omaechmorum per portas intromittitur. Veneti equites perniciter, si quospiam tardius incedentes contingere queant, insequuntur, pauci retenti. Ibi clamor tota urbe exortus, Iulium victorem profitens et Suitzer. Tenebatur et arx, quae tertio deinde die capitur. Bombardae murifragae octo, longae (quas *Dracones* vocant) decem, campestres decem captae, e quibus aliquae Venetorum fuerant; quas ubi vident, amplectuntur, lacrimis rigant, S. Marci signum osculantur: ita male eos diu passa ignominia habuerat. Reliquae dein non deditae urbes, missis legatis, sese dedunt in Cardinalis foederatorumque potestatem.

Interim Ianua capitur Hispanis oppugnantibus, et Asta velatis manibus pacem poscens deditur sancto foederi. Ita omnis Italia, Ligustica ora, Insubres, per Omaechmos liberati, tantum se eis debere profitentur, quantum T. Quintio Graecia liberata. Passim per urbes, per oppida, per agrum, tuba clangere, campanis insonare, docti, religiosi, concionatores omnes in suggesta elati, Confoederatos dicere *Populum Dei esse, qui Crucifixi Sponsae inimicos vindicet.* Nobilium vulgus undequaque, ut victorem exercitum videant, confluere, dona mittere, vina, frumenta, gaudere omnes, tripudiare, gratiamque ingentem ostendere. Aliquot diebus victor exercitus Papiae moratus seditionem subortam sopivit: quae quod quieto fine clausa est, omittitur. Tum legati ultro citroque, qui Mediolanensium res componant, mittuntur. Florentinorum trecenti qui cum Gallis erant, postquam ii trans Evisium montem fuga dissipati sunt, a Cardinale Huldrychoque de Saxo libere abeundi copiam impetraverunt. Sed postquam nescio quid spei nacti Gallos iterum novaturos rem existimant, iuriiurando contraeuntes eos iterum sequuntur: ubi per Venetos tractuum eius orae socios vivi omnes capiuntur. Tenentur arces aliquot Gallorum adhuc praesidiis; quae (ut speratur) paucis diebus exturbabuntur, ubi spei nihil in eorum Tyranno repositum viderint. Conventus inde Thermas [1]), commune Foederatorum municipium, indicitur. Ibi Legationes hae conveniunt. S. domini Papae Iulii II. Imperatoris; Cardinalis S. Potentianae a latere legati, Hispaniarum Regis, Gallorum Regis (sed haec occultior erat) Ducis Sabatiorum, Ducis Lotharingiae, Venetorum, Mediolanensium: singulae singulum quid petentes. Ibi videres hominum providentiam astumque: ut illi alia aliis implicant, ut impetrent e diverso: alii contraria asserunt, quoniam propria alterius domini obfutura sunt ut impediant. Maxime tamen Caesar ipse perturbat: Qui ut clanculum consultum erat, exturbati Ducis Ludovici Sphortiae filium Maximilianum in Principatum restituendum, iam cum magna admiratione omnium affert, *Insubres, Imperii Cameram, a nemine quam ab Imperio Principem accipere oportere.* Confoederati aegre ferre, dicere, *Caesarem pollicitum equites missurum, verbotenus tantum fidem solvisse; pondus belli se, Papam, Venetos tulisse; Eum manducare, cum nil laborarit, velle.* Disceptationes tamen eae non in contentiones devenerunt. Advenit alia dein legatio S. Patris Iulii et Cardinalium, Omaechmos in liberatorum Ecclesiae album relatos. Res grata, quidquid petant, sanctissimum concessurum. Maior pars, imo omnes, Crucifixi arma petunt, Glaronenses resurrectionis imaginem. Ultimo conventu decretum, Maximilianum Ludovici filium debere in Principatum paternum restitui etc. Scripsissem plurima (haec enim non centena pars sunt) dulcissime Ioachime, ni me urgentia negotia alio distraxissent. Velim tamen ea fronte legas, qua nos scripsimus, nobisque parcas, quoniam certe trium horarum spacio non ornatius, non copiosius, scribere concessum est.

---

[1]) Baden Helvetorum conventibus oppidum destinatum.

DE COLLOQUIO MARBURGENSI
RELATIONES LATINE SCRIPTAE.

Causam huius Colloquii vid. in P. III. Vol. II. p. 44. 45.

I. Rodolphi Collini, qui Zwinglium ad colloquium secutus erat (Hospiniani historia sacramentaria P. II. fol. 74, a. Lin. 1—78, a. Lin. 30).

Etsi vero utriusque partis Theologi propter dictas causas (exiguam spem fausti successus in Luthero eiusque asseclis; longitudinem et pericula itineris in Turicensibus) ab hoc Colloquio alieniores essent, tandem tamen res eo devenit, ut successum habuerit. Zuinglius igitur et Oecolampadius ex Helvetia Argentoratum descenderunt, ubi et Zuinglius in maxima civium frequentia concionatus est. Inde cum Bucero et Hedione profecti primi ad indictum diem Marpurgum venerunt: Deinde Lutherus, Melanchthon et Iustus Ionas e Saxonia: Postea Andreas Osiander Neroberga: Brentius Hala Suevorum: et Stephanus Agricola Augusta Vindelicorum accesserunt, et singuli humanissime ab Illustrissimo Principe Landgravio excepti fuerunt.

Priusquam vero publicum Colloquium haberetur, Principis iussu Lutherus et Oecolampadius, item Philippus et Zuinglius soli prid. Calend. Octob. colloquuti sunt.

In hac amica et placida Philippi et Zuinglii collatione haec utriusque consensu consignata fuerunt.

Philippus concedit verba nihil aliud posse quam significare.

Philippus et Zuinglius consentiunt, Spiritum sanctum operari in nobis iustificationem, mediante verbo. Verbum autem non intelligitur materialiter, sed verbum praedicatum et intellectum: hoc est, mens et medulla verbi. Vel aliter: Verbum capitur pro ipsa sententia et mente Dei: Quae mens est et voluntas Dei, amicta tamen humanis verbis: quam sententiam divinae voluntatis tunc capit humanum pectus, quum trahitur a Patre etc.

Peccatum Originale morbum esse credimus, quem omnes, qui ex Adamo generantur, contrahunt: Quo morbo fit, ut nos ipsos ante omnia complectamur, non Deum. Ubi non est lex, ibi non est praevaricatio: In parvulis non est lex, sed poena legis, quae tale malum sive peccatum est, ut damnet. Sed simul hic Christianorum parvulos beneficio Christi salvos esse non minus quam Hebraeorum agnoscimus, virtute promissionis, Recumbent cum Deo, Abraham, Isaac et Iacob.

De spirituali manducatione non dissentimus: nempe, quod manducare sit credere.

Etiamsi diceret Augustinus, Corpus Christi in uno loco esse oportere, tamen non concederet Philippus.

Idem dicit, Iudaeos intellexisse, quod deberent eum devorare et dentibus dilaniare. Christus quoque, cum intelligeret, quod de isto murmurarent, per *istud* intelligit, quod Christus intelligeret errorem illorum, quo carnalem dilaniationem capiebant.

Caro non prodest quicquam, dilaniata corporaliter, sicut Iudaei intelligebant. *Caeterum contendit*, Caro non prodest quicquam, generalem esse sententiam de carnali intellectu et iudicio etc.

Adiecit his Philippus: Non ingerebat se ori discipulorum circumscriptive, sicut Iudaei dilaniationem intelligebant, et dabat interim corpus ad manducandum abscondito modo.

Zuinglius negat istum modum absconditum probari posse ex Scripturis.

Philippus his verbis probat, Hoc est corpus meum.

Zuinglius, Nos dicimus, esse Petitionem Principii.

Philippus, Quia non debemus discedere sine evidenti testimonio Scripturae a proprietate verborum. *Ac prorsus non concedit*, Christi corpus in uno loco esse oportere, ita ut non etiam simul alibi esse possit. *Et probat per hoc*, Hoc est corpus meum: Ascendit, ut impleret omnia. *Ac licet probaret Zuinglii sententiam de Eucharistia, tamen ait se esse negaturum, quod affirmant*, oportere corpus Christi in uno loco esse: Quia nullo modo potest ratio intelligere, sive statuere, quomodo corpus Christi sit in uno loco.

Zuinglius respondet, Corpus Christi non posse esse in multis locis, non absolute aliquid potentiae divinae detrahendo, sed quia ex Scriptura non constat, id unquam in pluribus locis fuisse. Paulum dixisse: Ascendisse eum, ut adimpleret omnia, videlicet quae de eo constituta erant. *Deinde*, scriptum esse: Quod per omnia fratribus simillimus sit, *nempe*, praeter peccatum, quod ad humanam naturam pertinet. Haec autem nostra natura finita est: Christi humanitas nostrae similis est: Ergo finita est etc.

Alia, quae utrinque iactari incipiebant, interrupta sunt, quod Principis Mensa iam esset adornata.

Pleraeque sententiae, *ait Philippus*, quae ex Augustino citantur, plus videntur patrocinari Zuinglio: sed alii fere omnes ex veteribus manifeste suffragantur sententiae Lutheri.

Zuinglius dixit, Cum Christus dixerit, se ex mundo abiturum: Expedire nobis ut abeat: Nos eum non semper habituros: Relicturum se esse mundum: Non hic aut istic quaerendum se esse: Se non amplius fore in mundo etc. Hinc recte colligimus, impossibile esse regulariter, ut sit in mundo corporaliter. Nequit enim mentiri etc.

Cum autem de Articulo Coenae Dominicae in privata colloqutione convenire non possent, placuit Illustrissimo Landgravio, ut in suae Celsitudinis, aliquot Consiliariorum, Theologorum Marpurgensis Academiae, et nonnullorum aliorum clarorum

virorum praesentia, de eo colloquerentur: Quod Calend. Octob. et duobus proxime sequentibus diebus factum est.

Adscribam autem bona fide Summam colloquii huius publici, ut est a Rodolpho Collino *Scholae Tigurinae Professore, eruditione et integritate claro viro, qui et ipse cum Zuinglio Marpurgum profectus, colloquio huic interfuit, eodem et loco et tempore in memoriae subsidium breviter excepta et consignata: ex qua tamen benevolus Lector totum negotium cognoscere, et de scriptis Lutheri ac Philippi, quae post colloquium hinc inde sparserunt, facile iudicare poterit. Ea autem de verbo ad verbum sic habet.*

Lutherus priusquam inchoaret colloquium, in mensa sua scripserat, disputaturus contra Zuinglium et Oecolampadium: Hoc est corpus meum: *ut ne ab his verbis se abduci pateretur. Tum longa oratione praefatur, et protestatur*, quod ab adversae partis hominibus dissentiat, idque perpetuo facturus sit, cum Christus apertissime dixerit: Accipite, edite, Hoc est corpus meum. Hic dicit ostendendum esse, quod corpus non sit corpus. *Adversariorum sententiam adduxit. Quaestiones nullas in tam apertis verbis admittit. Rationem omnem et communem sensum excludit. Argumenta carnis, item argumenta Mathematica reiicit:* Deum, *inquiens*, esse supra Mathematicam, et verba Dei cum stupore esse adoranda et facienda: Deus autem praecipit, Accipite, edite, Hoc est corpus meum.

Oecolampadius ad argumenta Lutheri respondet, et caput sextum Ioannis tractandum censet, ut inde reliqui loci explicentur. Ad hoc, Hoc est corpus meum, *adducit*, Ego sum vitis vera. *Divinae possibilitati non contradicit. A carnali manducatione deducit ad spiritualem: suam sententiam dicit non vanam nec indivinam esse, constare enim ex fide et Scriptura.*

Lutherus Metaphoras agnoscit. Hoc est corpus meum, sumitur demonstrative: Nam generalis vox patitur Metaphoram. *Quaerit*, quomodo spiritualis manducatio secludat corporalem. *Patres esse ab altera parte fatetur, si admittatur interpretatio.*

Oecolampadius, Ego sum vitis vera etiam demonstrativum est: *Res potest esse: Quo modo sit.*

Lutherus non negat figuras, sed vult, ut probet, hic esse ex Petitione principii: Cum Christus dixerit: Hoc est, necessitas requiritur.

Oecolampadius legit caput sextum Ioannis, et postea probat, Christum ibi tractare de spirituali manducatione, et abducere a corporali, non igitur esse corporalem manducationem.

Lutherus repetit recitata ex cap. 6. Ioh. et dicit: Sententia tua est, per spiritualem manducationem abduci a corporali. Iudaei putarunt, eum comedendum esse, sicut panis et caro editur ex patina, und wie ein schweininen braten.

Oecolampadius respondit, hunc intellectum esse humilem: *ubi utrinque longa concertatio et contentio fuit.*

Oecolampadius, Christum in pane credere opinio est non fides. Periculosum est nimium elementis attribuere.

Lutherus, Ein strauwhalm aufheben ex iussu Domini, spirituale est. *Exemplum* von einem roßeisen *longe explicat*. Non oportet attendere, quid dicatur, sed quis. Quum Deus loquitur quid, auscultent homunciones: quum praecipit quid, pareat mundus, et omnes exosculemur verbum, nihil ultra curiosi.

Post hanc contentionem Oecolampadius inquit, Cum spiritualem esum habeamus, quid ergo opus est corporali?

Lutherus, Non curo quid opus sit, sed cum scriptum est, Accipite etc. faciendum omnino est et credendum: Man muß es thun, *saepe inculcabat*. Si iuberet, *inquit*, fimum comedere, facerem, satis sciens, hoc esse mihi salutiferum.

Oecolampadius locum tractat ex cap. 6. *Ioan.* Caro non prodest quicquam. Si caro comesa non prodest, sed spiritus, ergo spectandum nobis, quid prosit, et voluntas Dei contemplanda etc. *Uterque tandem protestatus est, se in sua perseveraturum sententia, quando neuter alteri satis fecisset.*

Zuinglius infit, et Lutherum praeiudicii accusat, quod protestetur, se a sua nolle decedere sententia. Ita Helvidius in dictione, *Frater*, argumentari potuisset, cum clarissime scriptum sit, Fratres eius etc. Collatio Scripturae necessaria. Itaque etsi non habeamus, Hoc est figura corporis, habemus tamen, quod abducit a corporali manducatione: ergo in Coena corpus suum non dedit corporaliter.

Concordes fuerunt in hoc, quod principale est, nempe in spirituali manducatione.

Inde tractat cap. 6. *Ioan. praesertim hoc*, Spiritus vivificat, caro non prodest quicquam. Humanitatem, quae passa sit, excipit: illa enim salutaris. Ex consequentia verborum validissime probat, quod caro comesa non prosit quicquam. In verbis, Discerpere, Dilaniare, calumniam Lutheri accusat, cum idem sit verbum ἐσθίειν, edere, comedere, manducare. Quum ascendero in coelum, tunc videbitis me non manducari corporaliter, wesenlich, leiblich ꝛc. Spiritus et Caro opponuntur. Contentionem de humili intellectu refricat, dicitque, quaedam probe, quaedam pueriliter dicta esse, *nempe*, Si Deus iuberet fimum comedere etc. Nam quae Deus iubet, ad bonum et salutem iubet: Deus lumen dat, et non tenebras offundit: Ergo non dicit, Hoc est corpus meum essentialiter, realiter, carnaliter, cum Scriptura repugnet. Oracula daemonum obscura, non Christi. Anima manducat spiritum, ergo non carnem.

Lutherus, contra Helvidium, Frater pro patrueli ex Scriptura probatur: Sed hic, Hoc est corpus, Tropus non potest probari. Holzapfel, si Deus mihi proponeret, ego spiritualiter manducarem. Nam ubicunque est verbum Dei, ibi spiritualis est manducatio: Ergo cum corporalem manducationem adiecit, dicendo, Hoc est corpus meum, credendum erit. Comedimus fide hoc corpus, quod pro nobis traditur. Os accipit corpus Christi; Anima credit verbis, quia edit corpus.

Zuinglius: Ex Scriptura probatur signatum pro signo; Ex Ezechiele, Phase (פסח Exod. XII. 27); Ergo cum in dubiis Scripturae locis collatio requiratur, credendum locis similibus.

Accusat Rhetoricam, et ficta argumenta, cum dicat, Si iuberet Deus ista vel ista: nam scimus Deum ista vel talia non iubere. Verbum, *inquit*, aequivocatur a vobis. Verba tantum significant nobis voluntatem Dei. Deus nobis non proponit incomprehensibilia. Quod Christus verus Deus et homo, non est incognitum fideli. Exemplum Mariae, quae interrogat, Quomodo potest istud fieri? et certior reddita, tum demum credit. Sed hic in cap. 6. discipuli dubitarunt de carnali manducatione, quare ipse spiritualem docet. *Ad illa*, Verbum Dei est manducatio, non nego, sed verbum creditum.

Lutherus: Ex Ezechiele et Phase, allegoriae sunt, Deutelei, significatio nulla est. De verbo, non dicimus, nostris verbis prolatis adduci corpus, sed de Institutione Christi dicimus, Verba non nostra, sed Domini sunt. Facite etc. Per hoc verbum facit, ut manus sacerdotis sit manus Christi. Os non est meum, lingua non est mea, sed Christi: Ich sey ein bub oder schalk. Ita de Baptismo; *Simile*, Princeps fundit fugatque hostem, ibi singulae manus, Principis dicuntur manus. Si dixeris monti etc. fiet. Non disputo, an *Est*, sit, Significet, sed contentus sum, quod Christus dicit, Hoc est corpus meum. Da kann der Teufel nicht für. Id volo, Verba non cedere in meam potestatem, sed potestatem et iussionem Domini. Anima etiam corpus manducat: corporaliter etiam corpus in verbo. Si interrogo, excido a fide: Ich wird zum narren darob. Cur non Tropum etiam facitis, Ascendit in coelum etc.? Quare puris verbis credite, et date gloriam Deo.

Zuinglius: Nos itidem rogamus, ut detis gloriam Deo, et relinquatis Petitionem Principii. Ubi probatur vestrum thema. Ego hunc locum non relinquam inexcussum, et leviter ita tractatum: Ihr werdend mir anders singen.

Lutherus: Invidiose loqueris.

Zuinglius interrogat, an credat, quod Ioan. 6. cap. Christus voluerit mederi ignorantibus?

Lutherus: Ihr wöllend es überböldern. Durus est hic sermo etc. Iudaei loquuntur de impossibili et absurdo. Sed missa haec faciamus, quae ad rem non faciunt.

Zuinglius: Nein, Nein: hic locus (*puta Iohan.* 6. *cap.*) bricht euch den hals ab.

Luther: Rühmt euch nicht zu sehr, ihr seit in Hessen, und nicht in Schweitz: Die häls brechend nicht also: *et alia ob hoc dictum calumniatus est, et quiritabatur plurimum. Et tamen simili phrasi usus est Lutherus in libro contra Coelestes Prophetas, inquiens:* Laß uns dem schalk an die Gorgel, *Carolstadium innuens. Tom. Ienensi* 3. *fol.* 84.

Zuinglius excusabat, id dictum esse ex idiotismo nostro. Esse ita diversas loquendi formulas etc. Princeps nutu et verbis excusationem accipiebat.

Zuinglius Postillas Lutheri citavit, in quibus scripserit, quod Christus de se dixerit, Caro non prodest quicquam. *Iam verba Melanchthonis adduxit in hunc ipsum locum.* Quod corpus corporaliter manducetur, sermonem esse non fundatum. Quando veteres dixerunt, Corpus Christi cibat animam, hoc de resurrectione intelligo.

Lutherus: Non curo quid nos scripserimus: sed probate, Hoc est corpus, quod non sit corpus. Corpus cibat hominis corpus aeternaliter. Os cum accipit corpus, immortalitatem quandam acquirit. Nam verbum ex iussu Dei virtutem induit. Deus dicit, Accipite, facite, Ibi fit: Dicta et facta sunt. Differt nostrum dicere, et iussio Dei. Si S. Petrus praesto esset, nesciremus quid crederet. Deus ergo non in sanctitate nostra, sed verbo suo fundat sanctum. Pessimus sacerdos facit sanctum.

Zuinglius: Absurdum, quod impii rem faciant sacram.

Lutherus, minime absurdum: nam baptisat malus. In verbo Dei ministrant impii. Nam in Cathedra Mosis sedent etc. Augustinus contra Donatistas ait, quod non tantum probis et piis committi debeat ministerium: quia factum nostrum situm est in verbo Dei.

Zuinglius, aliud est quando Pharisaei docent, et quando fit quod Christus loquitur. Ministerium praedicandi maius est ministerio baptizandi. Verum ad praedicandi ministerium pertinent ista verba, Hoc est corpus meum.

Oecolampadius caput 6. *Ioan. resumit: adducit etiam locum de Nicodemo, et explicat.*

Lutherus: fides spectat hoc praesens corpus, et id quod in coelo est.

Oecolampadius: Inculcat Lutherus semper idem, quasi nos panem habeamus sine verbo Dei. Ecclesia in hoc fundata est, Tu es filius Dei: non in hoc, Hoc est corpus meum.

Lutherus: Non temere hic adhaereo, mihi satis est hoc, Hoc est corpus meum. Ego fateor corpus esse in coelo, fateor etiam esse in Sacramento: Non curo quod sit contra naturam, modo non contra fidem.

Oecolampadius: Per omnia nobis similis factus est. Ut consimilis Patri in divinitate, ita nobis in humanitate.

Lutherus: Donec veniat etc. Vos distinguitis humanitatem et divinitatem, ego non curo. Pauperes semper habebitis, me non etc. Optimum argumentum quod hodie adduxistis. Substantialiter ut natus est e virgine, ita est in sacramento: Hic requiritur analogia fidei, ex definitione fidei *ad Heb.* 11. *cap.*

Oecolampadius: Christum non agnoscimus secundum carnem.

Philippus: id est, secundum nostram carnem.

Oecolampadius: Vos Tropum nobis adimitis, et tamen Synecdochen facitis, contra intellectum Catholicorum.

Lutherus: Hoc Deo committimus. Synecdoche est, ut gladius cum vagina, ein kantel mit dem bier; alſo iſt ein eingefaßte red, Hoc est corpus meum: Nam corpus est in pane, sicut gladius in vagina. Hanc figuram textus requirit, sed Metaphora rem omnino tollit, ut cum

dicatur, Corpus, id est, figura corporis. *Exemplum*, Supra quem videris columbam, in qua erat Spiritus sanctus.

Oecolampadius hoc exemplum retractavit, et ad suam sententiam optime deduxit.

Zuinglius, Rom. 8. Deus misit Filium suum conformatum carni peccato obnoxiae etc. *Ad Philip.* Exinanivit semetipsum σχήματι. *Hebr.* 2. Assimilatus fratribus. Ergo finitam habet humanitatem. Si corpus sursum, ergo in uno loco. *Augustinus, Fulgentius et alii adducuntur. Conclusio:* Corpus Christi in uno loco, Ergo non potest esse in multis locis.

Lutherus pro σχήματι in repetendo dixit ἕξις. Per omnia similis; Ergo habuit uxorem, und schwarz öuglein. Quod sit in loco, iam antea dixi vobis, atque adeo edico, quod nolo Mathematicam: id saepe repeto. Ut in Coena sit, et ut in loco ne curemus.

Zuinglius Paulum adducit ad Philip. 2. Ὃς ἐν μορφῇ Θεῦ ὑπάρχων. *Item*, μορφὴν δούλε λαβών.

Lutherus, Latine vel Germanice legas, non Graece.

Zuinglius Latine se excusat, nempe quod 12. *annis usus sit Graeco Codice. Tunc pergens, dixit*, ergo Christus est finitus ut nos finiti sumus.

Lutherus: Concedo. Simile de nuce et cortice: Ita de corpore Christi. Deus potest facere, quod non sit in loco, et quod in loco. *Hic multa erat controversia de loco.*

Et cum Lutherus concessisset, finitum esse corpus Christi, et Zuinglius inferre vellet, Ergo locale. Si locale et in coelis, ergo non in pane: *Ibi Lutherus nolebat audire de loco, vel localitate: dicebat*, Ich will es nicht gehebt haben, ich will sie nichts.

Zuinglius, Muoß man dann grad alles, was jhr wöllend?

Coena instabat et diremit certamen.

Zuinglius, Corpus Christi finitum, ergo in loco.

Lutherus, non est in loco, quando in sacramento: potest esse in loco et non in loco. Deus potest corpus meum ponere, ut non sit in loco. Nam et Sophistae dicunt, Unum corpus posse esse in diversis locis, quod non improbo. *Exemplum*, Mundus est corpus, non tamen in loco.

Zuinglius, arguis a posse ad inesse. Proba, quod corpus Christi possit esse simul in diversis locis.

Lutherus, Hoc est corpus meum.

Zuinglius ex Fulgentio legit, quod Christus sit in uno loco Luthero obiicit, quod scripserit, Es ist alles voll leib Christi. *Et*, si divinitas non est passa in Christo, non meus esset Christus.

Lutherus: Fulgentius non de Coena loquitur, sed contra Manichaeos. Fulgentium adducit de Coena Domini, ubi Oblationis mentio fit:

Zuinglius: offertur, *id est*, memoria celebratur oblationis.

Ibi Lutherus sacrificium vocavit in dubium, ne cederet de sententia: quod cum Zuinglius ei obiecisset, dictum revocavit.

Lutherus, rursum corpus Christi in multis locis esse probat, per, Hoc est corpus meum.

Zuinglius eum cepit.

Lutherus revocavit dictum: Gott geb, er sey *in loco* oder nicht, Deo committam: hoc mihi satis est, Hoc est corpus meum.

Zuinglius, subinde petitis principium: sic contentiosus posset dicere, Iohannem Mariae fuisse filium: nam Christus dixit: Ecce filius tuus; semper inculcando, Christus dixit, Ecce filius tuus, ecce filius tuus.

Lutherus, non petimus principium: nam articulus fidei non probatur per articulum.

Zuinglius, Scripturae conferendae, et per se excutiendae: Dicite an corpus sit in loco?

Brentius, est sine loco.

Zuinglius, Augustinus dicit, in uno loco esse oportet.

Lutherus, Augustinus non de Coena loquitur.

Lutherus tandem concedit, quod non sit in sacramento tanquam in loco.

Oecolampadius hinc colligit, ergo non est hic corporaliter, leiblich, mit warhaftem leib.

Oecolampadius repetiit, quod concessissent, corpus Christi non esse in sacramento ut in loco: *et quaerit sine contentione*, quomodo ergo ibi sit corpus? *Augustinus et Fulgentius legitur.*

Lutherus, Vos Augustinum et Fulgentium habetis, sed reliqui Patres a nobis stant.

Oecolampadius petit, ut suae partis Patres proferant: sed recusant.

Lutherus admittit sacramentum sacrae rei signum esse: concedit sancta symbola esse, et sic ut amplius aliquid significent, et intellectui repraesentent aliud. *De signis naturalibus et signis a Deo institutis consentiunt.*

Lutherus inter alia Augustinum reiecit, quod iuvenis scripsisset, et quod obscurus et antiquus scriptor: *et concludit.*

Oecolampadius dicit, se citare Patres hanc ob causam, ne nova et inaudita ipsorum videretur sententia: *tandem etiam concludit. Itidem Zuinglius fecit. Bucerus protestatur et Zuinglius. De hoc postremo congressu Oecolampadius in suo Dialogo fol. 157. b. sic scribit*: In Colloquio Hassiaco, incessebar tanquam argutulus a Luthero, quum quaedam de veritate humanae carnis in medium afferrem. Urbanitatis igitur illius memor, sequenti die rogabam, An prorsus non liceat nobis de modo agere, quo sit in pane corpus: afferebamque Augustini dictum, admonentis, ne de hoc dicto, Hoc est corpus meum, pueriliter sentiamus, et proinde opus nobis discere, ne toti pueri simus. Rogabam igitur, an ipse modum indicare, vel ex me audire velit? Et cum ipse nihil afferret, ego dicebam, tuto me posse hunc modum asserere, quem omnes veteres doctores habent, quos Ecclesia non respuit, dicentes, mensam illam mysticam et in sacramento corpus sumi. Quae expositio plane meae sententiae quadrat. Nam ex doctoribus, praesertim Augustino, etiam ostensum, ut illi sacramentorum rationem ponant. Ipsi vero Augustinum mihi relinquebant.

Tertia die Articuli conscribuntur, in quibus ab utraque

parte consensum est, et in quibus non: ut orbi Christiano notum fieret, eos in omnibus fidei capitibus consentire, unico excepto, de Modo praesentiae corporis et sanguinis Christi in Coena. Illi autem articuli cum Zuinglio et Oecolampadio praelegerentur, quaedam verba duntaxat mutari petierunt, propter contentiosos quosdam, qui verba potius quam sensum urgent.

Articuli vero, de quibus utrinque consentiunt, hi sunt.

Primum. Quod utrinque unanimiter credimus et sentimus, unicum esse verum naturalem Deum, conditorem omnium creaturarum, unum in essentia ac natura, trinum in personis, videlicet, Patrem, Filium, et Spiritum sanctum, prorsus sicut in Concilio Niceno decretum est, et in Symbolo Niceno passim in tota Ecclesia Christiana canitur et legitur.

Secundo. Credimus non Patrem, nec Spiritum sanctum, sed Filium Dei Patris, verum Deum, hominem factum esse, per operationem Spiritus sancti, sine virili semine, natum ex pura virgine Maria, secundum carnem, perfectum corpore et anima, similem aliis hominibus, sine omni peccato.

Tertio. Quod hic Dei et Mariae Filius indivisa persona Iesus Christus pro nobis crucifixus, mortuus, et sepultus sit, resurrexerit a mortuis, ascenderit in coelum, sedeat ad dexteram Dei, Dominus omnium creaturarum, venturus ad iudicandum vivos et mortuos.

Quarto. Credimus peccatum originis ab Adamo in nos carnali generatione propagatum, tale peccatum esse, quod omnes homines condemnet, et, nisi Christus nobis opem sua morte et vita tulisset, aeterna morte nobis in eo moriendum fuisset, neque unquam in regnum Dei, et beatitudinem aeternam pervenire potuissemus.

Quinto. Credimus nos a peccato originis et omnibus aliis peccatis et ab aeterna morte redimi et liberari, cum in Filium Dei Iesum Christum pro nobis mortuum esse credimus, nec sine hac fide per ullum opus vel ordinem etc. ab ullis peccatis liberari posse.

Sexto. Quod haec fides sit donum Dei, quod nullis praecedentibus operibus aut meritis impetremus, nec propriis viribus consequi nunc possimus: Sed Spiritus sanctus, ubi vult, dat et efficit fidem in nostris cordibus, cum Evangelion, seu verbum Christi audimus.

Septimo. Quod haec fides sit nostra iustitia coram Deo, propter quam nos Deus iustos, probos, et Sanctos reputet, sine ullis operibus et meritis, et per hanc fidem nos a peccato, morte, inferno liberet, in gratiam recipiat, et salvet propter Filium suum, in quem credimus, et hac fide omnium beneficiorum, iustitiae, et vitae Christi participes reddamur. Quare totus Monachatus et vota, cum prodesse ad salutem existimantur, damnata sunt.

Octavo. Quod Spiritus sanctus, de via ordinaria loquendo, nemini hanc fidem et donum suum largiatur, nisi praecedente concione, seu verbo vocali, seu Evangelio Christi, sed per et cum verbo vocali operatur et efficit fidem, ubi et in quibus ipsi visum est. *Rom.* 10.

Nono. Quod Baptismus sit Sacramentum ad hanc fidem (efficiendam et obsignandam) a Deo institutum. Et quia mandatum Dei: Ite, bapti-

zate: et promissio Dei, Qui crediderit, Baptismo includitur: non nudum signum aut nota et tessera professionis Christianae, sed signum et opus Dei est, in quo fides nostra requiritur, per quam regeneramur.

Decimo. Quod haec fides per efficaciam Spiritus sancti, postquam per eam iustificati et sanctificati sumus, bona opera per nos operetur: videlicet dilectionem proximi, invocationem Dei, et patientiam in cruce.

Undecimo. Quod confessio seu petitio consilii (et absolutionis) apud Pastorem vel proximum suum, etsi non coacta, sed libera esse debeat: tamen valde utilis (et expetenda) sit moestis et afflictis, vel in peccata aut errorem lapsis conscientiis, praecipue propter absolutionem seu consolationem Evangelii, quae vera absolutio est.

Duodecimo. Quod Magistratus, leges civiles, iudicia, et ordinationes politicae, ubicunque sunt, bonus et legitimus ordo sint, non prohibitus, sicut aliqui Papistae et Anabaptistae sentiunt et docent: Sed quod Christianus, qui ad Magistratum vocatur vel nascitur, bene per fidem Christi salvari possit: sicut ordo coniugalis, patris et matris, Domini et matrisfamilias etc.

Decimo tertio. Traditiones, quae sic nominantur, seu ordinationes Ecclesiasticae ab hominibus factae, si non pugnent contra manifestum Dei verbum, libere servari vel omitti possunt; prout homines sunt, cum quibus versamur, ita, ut scandala non necessaria vitemus et paci serviamus. Et quod prohibitio coniugii sacerdotum sit doctrina daemoniorum.

Decimo quarto. Paedobaptismum necessarium esse, veluti quo infantes in gratiam Dei et gremium Ecclesiae recipiantur.

Decimo quinto. Credimus et sentimus omnes de Coena Domini nostri Iesu Christi, quod utraque specie, iuxta institutionem utendum sit: Quod Missa non sit opus, quo alter alteri, defuncto aut viventi, gratiam impetret: Quod Sacramentum altaris sit Sacramentum veri corporis et sanguinis Iesu Christi, et spiritualis istius veri corporis et sanguinis sumptio praecipue unicuique Christiano maxime necessaria. Similiter de usu Sacramenti consentimus, quod, sicut verbum, ita et Sacramentum a Deo traditum et ordinatum sit, ut infirmas conscientias ad fidem et dilectionem excitet per Spiritum sanctum. Etsi autem, an verum corpus et sanguis Christi corporaliter in pane et vino Coenae Domini praesens sit, hoc tempore non concordavimus, tamen una pars alteri Christianam dilectionem, quantum cuiusque conscientia feret, declarabit, et utraque pars Deum omnipotentem diligenter orabit, ut nos Spiritu suo in vera sententia confirmet, Amen.

<table>
<tr><td rowspan="9">Subscripserunt</td><td>Martinus Lutherus.</td><td rowspan="9">3. Octob. anno 1529.</td></tr>
<tr><td>Iustus Ionas</td></tr>
<tr><td>Philippus Melanchthon.</td></tr>
<tr><td>Andreas Osiander.</td></tr>
<tr><td>Ioannes Brentius.</td></tr>
<tr><td>Ioannes Oecolampadius.</td></tr>
<tr><td>Huldrychus Zuinglius.</td></tr>
<tr><td>Martinus Bucerus.</td></tr>
<tr><td>Casparus Hedio.</td></tr>
</table>

Notae Zuinglii ad 15 Articulos. [1])

Ad 1. Nam et Pontificii hoc Symbolum agnoscunt, canunt autem apud istas gentes symbolum germanica lingua, quod nos pronunciamus dominicis diebus.

„ 3. Nisi enim indisiuncta esset persona, non esset omnium salvator. Nam salvatorem esse propriae divinae est naturae, non humanae. Quamvis secundum humanam naturam tantum passus sit, sicut Samarita dicitur in latrones incidisse, cum solum corpus sit vulneribus concisum, adhuc tamen totus homo dicitur vulneribus esse affectus. Indissociata igitur est Christi persona, etiam ac altera natura tantum aliquid agit aut patitur; h. e. naturae non dividuntur, ut sint duae personae: sed in unitate personae servat utraque natura proprietatem suam, ut iam de homine exemplum allatum est.

„ 5. Sola ergo fides, quae nihil aliud est quam spiritualis manducatio, iustificat, non manducatio sacramentalis.

„ 6. In isto articulo tota summa pendet: Non igitur datur peccatorum remissio, cum porrigitur sacramentum.

„ 8. a) Sic enim infit Scriptura: Ite praedicate, et: Fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi, alias tolleretur ministerium verbi.

b) Per evangelium intelligimus in genere omnem externam adnuntiationem.

c) Ipse fidem dat, non externum verbum, idcirco bis positum est: Er κατ' ἔμφασιν.

„ 9. a) Werk gottes dictum est, ne quis contemnat.

b) Gloube gefordert, sive ipsius qui baptizatur, sive eius qui ad Baptismum mittit, puta parentis, h. e. ut baptisatus aut in promissa credat, et Ecclesiae velit inseri, aut cum adolescat, de fide doceatur.

c) Welchen — refert fidem, ut in sequenti relatione sequentis articuli patet.

„ 11. Bycht. Inferiores adhuc utuntur hac voce, nos abhorremus et utimur consulendi verbo, ideo utrumque est positum. Sic et absolutionis verbo utuntur, ubi nos consolandi, ideo et hic utrumque est positum.

„ 13. Unnötig — ut cum apostoli in templum convenerunt, in templo praedicaverunt, cui adhuc carnales hostiae offerebantur. Abolenda nimirum tulerunt. Sed si inter principia tanta constantia abstinuissent a templo, quomodo postea deterret Paulus ab idolothytis, iam non tanta seges Evangelii fuisset orta.

„ 14. Zuo gottes gnaden h. e. sacramentaliter accipimus in gratiam. Quod nihil est, quam eum, qui in gratiam iam receptus est, fidei sacramento signari.

---

[1]) Ex manuscripto collectionis Simlerianae. Spectant germanicam interpretationem 15 Articulorum. Vide Zuinglii univ. opera Vol. II. Part. III. pag. 52—55.

Ad 15, a) Nachtmal. Sic nos appellamus; Sacrament des altars vocant inferiores.

b) Sacrament des waren lybs und bluots Christi. Sacramentum signum est veri corporis etc. non est igitur verum corpus.

c) Principatus est manducatio spiritualis. In hac consentimus. Caput ergo religionis est salvum.

d) Das wort von gott gegeben h. e. quomodo Christus suis verbis instituit. Hic religio monet, ne verba Christi velimus contemnere, sed illis uti quomodo hactenus usi sumus: deinde et mortem Domini annunciare.

e) Die gewüssen zuo glouben zuo bewegen — verbo scil. passionis Domini: Illud enim in hoc praedicatur, ut sciamus, Deum nobis esse propitium, quandoquidem filium suum pro nobis in mortem tradidit: sed solus Spiritus sanctus est, qui corda illuminat et per fidem iustificat. Idcirco in huiusmodi semper curavimus addi expositionem, qua intelligatur, fidem a solo Deo esse. Est igitur huius loci sensus, usum Sacramenti huius servari debere, quomodo Christus instituit. Instituit autem, ut memores simus, h. e. annuntiemus mortem eius, i. e. gratias agamus et laudem demus ac gloriam, propter hoc, quod pro nobis est crucifixus ac mortuus. Iam nimirum nostrum est, ut mors Domini externa quoque verbo praedicetur. Haec praedicatio in hoc fit, ut pars confortetur, pars ad fidem informetur. Sed haec omnia non nostro verbo, etiamsi instrumentum sit, sed divina operatione in mentibus hominum perficiuntur.

II. Philippi Melanchthonis ad Principem Electorem Saxoniae (Hospin. hist. sacr. P. II, fol. 80, a. lin. 43 — 81, a. lin. 43).

Primo: Illustrissimus Hassiae Landgravius mandavit, ut D. Martinus cum Oecolampadio solo, et Philippus etiam cum Zuinglio solo colloqueretur. Hic propositum ipsis fuit: Nos praeter Articulum de Coena, multos alios in ipsorum doctrina improbare, de quibus etiam conferri oporteat. Verbi gratia, quod Zuinglius scripsit: Nullum esse peccatum originis, sed externas tantum malas actiones et facta peccata esse, et ita sentit originalem immundiciem et concupiscentiam. Item, quod natura Deum non timemus, nec ipsi fidimus, peccati rationem non habere. Id quod magno iudicio est, Zuinglium de vera Christianorum sanctitate non multum scire, cum Pelagianos, Papistas, et Philosophos secutus, externas tantum actiones pro peccatis habeat.

Secundo. In articulo de Ministerio Ecclesiastico sive verbo, et usu Sacramentorum, graviter hallucinantur. Docent enim, Spiritum sanctum non per Verbum et Sacramenta, sed sine Verbo et Sacramentis donari. Idem etiam docebat Muncerus, et ea ratione privatis specula-

tionibus sese dabat. Id quod sequi necesse est, si quis Spiritum sanctum sine verbo acquiri posse existimet.

Tertio. Rumor increbuit de Argentinensibus, quod de Trinitate non recte sentiant, qua de re etiam sententiam ipsorum scire desiderabamus. Accepimus enim plerosque ipsorum non aliter, quam Iudaeos, de Divinitate loqui, quasi Christus non sit natura Deus.

Quarto. Incommode etiam loquuntur et scribunt de hominis Iustificatione coram Deo, et doctrinam de fide non satis inculcant, sed ita de Iustificatione loquuntur, quasi opera, quae fidem sequuntur, sint Iustitia hominis: Male etiam hanc quaestionem explicant: quomodo fides concipiatur?

De his Articulis tunc temporis, quantum fieri in illa festinatione potuit, a nobis instituti sunt, et quo plura de iis audierunt, eo magis institutio nostra ipsis placuit. In omnibus etiam illis capitibus cesserunt, quanquam antea aliter de iis publice scripsissent.

Altero die in publico colloquio, cui ipse etiam Landgravius intererat, Lutherus initio dixit: Opus esse, ut de capitibus iam commemoratis collocutio institueretur, sed tamen solum Sacramenti negotium pertractatum fuit: In quo Zuinglius et Oecolampadius his tribus tantùm argumentis nitebantur.

1. Ioh. 6. Christus docet spiritualem corporis sui manducationem: Ideo in Sacramento spiritualis tantum manducatio intelligenda est.

2. Corpus non posse pluribus in locis esse: Cum igitur Christus verum corpus habeat, et in coelis sit, non posse ipsum simul in Sacramento esse. Multas quoque incommodas locutiones effuderunt: Deum adeo incomprehensibilia nobis non proponere. Item, externam manducationem et res extèrnas nihil prodesse, et pleraque alia his similia.

3. Oecolampadius multa vulgata Augustini dicta ex libro recitabat, quod Sacramenta sint signa aliquid significantia, sicuti serpens in deserto etc. aliquod significavit.

Haec ipsorum fuerunt fundamenta, quibus recitatis, Oecolampadius aliquoties dixit: Existimarim sane sufficere, si tantum spirituali manducationi insisteremus.

Haec ipsorum argumenta, D. Martinus refutavit, bidui spatium isti labori impendens.

Ad primum Iohan. 6. responsum est, caput illud institutioni Sacramenti minime repugnare. Etiamsi enim Christus ibi tantum agat de spirituali manducatione sui corporis, nempe de fide, tamen hic etiam corporalis illius manducatio instituta est, quae spirituali manducationi nihil derogat, nec eam impedit: quin docemus etiam hanc spiritualem manducationem in coena esse debere. Ita iuxta verba illa, Hoc est corpus meum, externa manducatio instituta est, licet ea Iohan. 6. instituta non sit.

Adversarii multum praesidii ponebant in hoc dicto, Caro non prodest quicquam, quasi in Sacramento nulla sit utilitas carnis Christi. Ad id responsum est: Dictum illud de carne Christi minime intelligendum esse (supra enim Christus dicit, Carnem suam esse vivificam), quin potius accipiendum illud esse de carnalibus nostris operibus atque cogitationibus. Etsi maxime de Christi etiam carne dictum hoc acci-

piamus, nihil tamen aliud evinci ex eo posse, quam Christi carnem absque fide manducatam nihil prodesse. Omnino enim fatendum est, Christi carnem non esse inutilem praesertim credentibus.

Ad alterum responsum est, Rationem non debere Dei virtutem et arcana iudicare, An corpus aliquod in multis possit esse locis nec ne: Huic vero argumento admodum firmiter insistunt, et multa dicta ad rem nihil facientia allegant: Quod Christus verum corpus habeat: Quod idem nobis similis sit: Corpus in loco esse oportere etc. Ad illa omnia responsum et saepius repetitum est: Rationem nostram de his iudicare non debere. Facile enim Deus corpus aliquod sine loco sustentare potest, sicuti totus mundus extra sese nullum habet locum.

Adversarii multum contendebant, magnum esse miraculum: Quomodo igitur eiusmodi miraculum per malos Sacerdotes fieri possit?

Responsum est: In Ministerio Ecclesiastico nullo modo ministri dignitatem, sed Dei mandatum spectandum esse. Nullus enim Angelorum aut Sanctorum utiliter concionari aut sacramenta administrare posset, nisi Dei extaret mandatum, quemadmodum Paulus de se ipso inquit: Quis ad haec idoneus? Fuit autem hic olim error sive haeresis Donatistarum, in qua hoc tempore haerent Anabaptistae: Nemini videlicet, nisi sanctus et innocens sit, Sacramenta administrare licere. Hac data solutione illud caput urgere desierunt.

Ad tertium: Quod Augustinus saepe inquit, Sacramenta esse signa aliquid significantia, responsum est: Verum esse, quod omnia Sacramenta promissionem illis operibus annexam significent. Verbi gratia: Coena Dominica significat, Christi morte pro nostris peccatis satis factum, et remissionem peccatorum nobis promissam esse; et tamen non sequitur, Christi corpus ibi non adesse.

Haec summa fuit totius disputationis. Quia vero Osiander et Brentius non fuerunt auditi, nos scriptum quoddam ad Landgravium concepimus, in quo multas sententias veterum Patrum (quorum autoritatem adversarii subinde iactant) hoc fine collegimus, ut Landgravius perspicua et clara dicta Patrum in promptu haberet, quibus ostensum esset, veteres etiam nostrae sententiae fuisse.

Sub finem negotii Zuinglius et Oecolampadius magnopere petiverunt, ut pro fratribus ipsos haberemus: Sed in hanc ipsorum petitionem consentire nullo modo voluimus, et durius etiam hoc nomine ipsos allocuti sumus: Mirum nobis videri, qua conscientia pro fratribus habere nos possint, quos errare in doctrina statuant. Quomodo enim ferre possint, ut in suis coetibus simul cum ipsorum dogmate nostra etiam sententia doceatur et credatur, id quod permittendum omnino sit, nisi nos mutuo excommunicemus.

Ne autem Actio prorsus infructuosa esset, certos quosdam articulos de aliis quibusdam rebus conscripsimus, ut ulteriores errores, quantum fieri posset, praecideremus. Deprehendimus enim de illis articulis, quorum superius est facta mentio, incommodas loquendi phrases invectas fuisse. Atque ita nostram sententiam in omnibus approbarunt, excepto hoc uno de praesentia corporis Christi in Coena Dominica. Existimamus etiam ipsos controversiam hanc, nisi eousque progressi essent,

non facile excitaturos fuisse: speramusque eos, si commodis rationibus eum ipsis agatur, arena sua cessuros esse. Praeterea etiam sese minime difficiles aut morosos erga nos exhibuerunt: Sed deprehendimus ipsos in doctrina D. Martini non satis institutos fuisse, quanquam verba imitari conentur.

III. Philippus Melanchthon ad Henricum Saxoniae Ducem (Hosp. hist. sacr. P. II. fol. 81, a. lin. 45—82, b. lin. 5).

Illustrissimus Princeps Landgravius Hassiae, hos, quorum adscripta sunt nomina, vocavit, ut Marpurgae ad diem Michaelis anni 1529 comparerent, et de Sacramento corporis et sanguinis Domini nostri Iesu Christi una colloquerentur.

Venerunt igitur Marpurgam primi Oecolampadius, Zuinglius, Bucerus, et Hedio: Deinde D. Martinus Lutherus, Iustus Ionas, Philippus Melanchthon: Postremo Andreas Osiander Norinberga, Iohannes Brentius ex Salinis, et Stephanus Agricola Augusta.

Postquam D. Martinus Lutherus venit, Landgravius serio mandavit, ut D. Martinus Lutherus cum Oecolampadio solo, et Zuinglius cum Philippo etiam solo colloqueretur.

Iuxta hoc mandatum hi una contulerunt: ac D. Lutherus Oecolampadio articulos multos proposuit, de quibus partim non recte sensisset ac scripsisset, partim occasionem rumoribus praebuisset, ut plures inde et maiores errores secuturos esse metuatur.

De talibus articulis Philippus cum Zuinglio etiam egit, hisce videlicet: Zuinglium non recte scripsisse de morbo originis, quod non sit peccatum, et quod Baptismus ad id non prosit, ut peccatum originis infantibus remittatur.

Item, de Coena Domini, quod corpus et sanguis Christi non vere sint in Sacramento.

Item, de usu verbi et Sacramentorum, non docere eos, quod Verbum et Sacramenta instituta sint, ut per ea Spiritus sanctus nobis detur. Qua opinione recepta, Ministerium Verbi et Sacramentorum in Ecclesia facile extingui posse. Fertur item, quosdam illorum non recte sentire de Divinitate Christi.

Ad haec Zuinglius respondit: Primum de Divinitate Christi se semper sensisse, et adhuc sentire, Christum verum Deum et hominem esse: et alioquin de toto articulo Trinitatis se sentire, sicut Synodus Nicena docuerit. Nec ad se pertinere, si qui in superiori Germania incommode locuti sint. Indicabat etiam, Hetzerum Anabaptistam, qui Constantiae supplicio affectus est, contra Divinitatem Christi librum scripsisse, quem ipse (Zuinglius) oppresserit, ne in lucem prodiret.

De caeteris Articulis, videlicet de peccato originis, item quod Spiritus sanctus non detur per verbum et Sacramenta, multum disputatum est, sicut res magni momenti sunt: in quibus Zuinglius libenter a suis scriptis discessit.

Deinde conferebatur de articulo Sacramenti Coenae Domini, de quo Zuinglii et Oecolampadii argumenta in publica collocutione audita sunt. Cum enim de hoc articulo privatim non convenisset: Voluit Illustrissimus Princeps Hassiae, ut in suae Celsitudinis et aliquot consiliariorum praesentia de eo ageretur.

Inchoato igitur publico colloquio indicabat Lutherus: Necessitatem flagitare, ut de tota summa Christianae doctrinae cum illis ageretur. Nam in Zuinglii scriptis multos errores inveniri: Praeterea parum eos de Iustificatione docuisse, ut appareat propriam Evangelii doctrinam parum ipsis notam esse.

Deinde protestabatur Lutherus, se scire, quod de sacramento recte scripserit, ac velle se in eo, quod scripsisset, permanere. Quod si Oecolampadius et Zuinglius aliquid contra veritatem se proponere posse existimarent, id se audire velle et refutare.

Ad ea respondit Zuinglius: Conventum hunc non ideo institutum esse, ut de caeteris articulis conferretur, sed tantum de sacramento: de quo si conveniret, velle se etiam de aliis causis colloqui. Ita articulus de Sacramento solus propositus est, ac tria praecipue argumenta tractata sunt.

Primum Ioh. 6. Christum dixisse, Caro non prodest quicquam. Ideo non existimandum esse, In sacramento carnem Christi praesentem esse, quia carnalis manducatio nihil prosit.

Hoc argumentum Lutherus etiam refutavit, Quod verba, Caro non prodest quicquam, non de Christi carne intelligenda sint, quia prius dixit: Carnem suam vivificare, sed de carne sine Spiritu. Ideo addere Christum, Spiritus est qui vivificat, ut ostendat nostram carnem nihil prodesse, non intelligere ea quae sunt Spiritus Dei: Alioqui horrendum auditu fore, Christi carnem nihil prodesse. Deinde etiamsi concederetur, Christum de sua carne dixisse, Caro non prodest quicquam, tamen Zuinglium non posse confirmationem suae opinionis de Sacramento inde extorquere. Non enim asserunt haec verba, Christi corpus non esse in Sacramento. Sed etiamsi concedatur, ea de Christi carne accipi debere, tamen intelligi posse: Christi carnem non prodesse iis qui non credunt: Sicut Augustinus etiam haec verba interpretatur. Nam Christi sententia est, carnem sine Spiritu nihil prodesse, ideo addit, Spiritus est qui vivificat.

Alterum argumentum philosophicum ex ratione ductum erat: Unum corpus non posse simul in diversis locis esse, sed corpus Christi esse in coelo etc. De hoc argumento longa rixa fuit. Lutherus aiebat, rationem humanam non debere nec posse omnipotentiam Dei iudicare. Zuinglius dicebat, Deum non proponere nobis talia credenda, quae prorsus comprehendi non possunt. Tales ineptae voces ei excidebant, cum tamen doctrina Christiana multos incomprehensibiliores et sublimiores articulos habeat, videlicet, quod Deus homo factus sit, quod haec persona, Christus, qui verus Deus est, mortuus sit.

Dicebat etiam Zuinglius, quomodo res tantae per malos sacerdotes confici possent, ut Christi corpus eo perveniret? Ad id Lutherus clare respondit, Non ex sacerdotis merito, sed Christi ordinatione illud fieri:

Quia Christus mandaverit, ideo fieri. Ita etiam de efficacia verbi et Sacramenti esse sentiendum. Et Donatistarum errorem esse, quod Sacramenta non sint efficacia, quae a malis sacerdotibus administrentur. Ad ea nihil tum Zuinglius replicavit.

Tertium urgebat argumentum Oecolampadius: Sacramenta sunt signa, ideo intelligendum est, ea aliquid significare. Ideo hic etiam sentiendum est, corpus Christi tantummodo significari; non praesens adesse. Ad hoc argumentum respondebatur: Vere dici Sacramenta esse signa. Sed nos eis non alias significationes praeter eas, quas Christus ipse tradidit, affingere, nec aliter ea interpretari debemus. Item: Quod Sacramenta sunt signa, id praecipue ita intelligendum est, quod annexas promissiones significent, ut: Circumcisio praecipue verbum significat a Deo ritui annexum, quod Deus propitius esse velit. Ac si quis aliam significationem quaerere vellet, videlicet: Quod Circumcisio mortificationem carnis denotet, inutilis haec significatio futura est, si altera principalis significatio promissionis negligatur. Ideo non temere significationes fingendae sunt, sed videndum quomodo verbum Dei seipsum interpretetur.

Postremo multa dicta Patrum lecta sunt, per quae Zuinglius et Oecolampadius se victoriam in sua causa obtenturos esse sperabant. Erant autem generalia dicta, quorum pleraque nihil de Sacramento loquebantur, ut: Corpus necessario in loco esse, et spatium certum occupare. Item: Quod Christus verum corpus habeat. Adversus ista Illustrissimo Principi Hassiae multo illustriora dicta ex Patribus exhibita sunt, quae docent, Verum corpus et sanguinem Christi in Coena Domini adesse.

Haec summa est colloquii brevissime comprehensa. Lutherus in sua sententia perstitit: Verum corpus et sanguinem Christi in Coena adesse. Adversa autem pars a sua opinione discedere noluit.

Petebant autem, ut Lutherus eos pro Fratribus acciperet. Postulato D. Martinus nullo modo consentire voluit. Graviter etiam eos allocutus est, dicens: Vehementer se mirari, quomodo ipsum Fratris loco habere possint, si modo doctrinam suam veram esse serio sentiant? Sed hoc indicio esse, quod non existiment etiam ipsi, multum in hac causa situm esse.

Sed tamen ut maiora dissidia et turbae averterentur, visum est, articulos aliquot consignandos esse, qui typis editi sunt. In articulis illis Zuinglius et Oecolampadius libenter in caeteris omnibus Lutheri sententiam secuti sunt. De Sacramento tantum sequi noluerunt. Nimis enim longe progressi sunt in hac causa, ut difficulter gradum revocare possint. Spes tamen est, eos etiam in hac parte cessuros esse, si potestas aliqua vias idoneas suscipiat, quod Deus gratia sua fortunare dignetur.

IV. Lutherus ad Iacobum Praepositum Bremensem (Hosp. hist. sacr. P. II. fol. 82, b. lin. 7. — lin. 40).

Quod Sacramentarii iactant, me esse Marpurgi victum, faciunt more suo: Sunt enim non solum mendaces, sed ipsum mendacium, fucus, et simulatio, quod testatur Carolostadius et Cinglius ipsis factis et verbis suis. Vides autem hos Marpurgi revocasse in articulis positis, ea quae de Baptismo, Sacramentorum usu, similiter externo verbo, et alia quae hactenus editis libris pestilenter docuerunt. Nos nihil revocamus.

At cum victi essent etiam in Coena Dominica, noluerunt revocare hunc articulum, etiamsi viderent se non subsistere. Metuebant enim plebem suam, ad quam non licuisset reverti, si revocassent. Et qui non vincerentur? Cum Cinglii unicum et totum argumentum fuerit, Corpus non posse esse sine loco et dimensione, cui ego ex Philosophia opposui, ipsum coelum esse naturaliter sine loco, tam magnum corpus: nec dissolvere potuerunt.

Oecolampadii vero unicum fuit argumentum: Patres appellant signum, Ergo non est corpus ibi. Multis vero verbis promiserunt, se velle nobiscum eatenus dicere, Christi corpus veraciter esse in Coena praesens (at spiritualiter), tantum ut Fratres appellare dignaremur, et simulare ita concordiam. Hoc quod Cinglius palam lachrymans coram Landgravio et omnibus rogabat, dicens in haec verba: (Es sind keine leut auf erden, mit denen ich lieber wollt einig seyn, dann mit den Wittenbergern) Nulli in terris sunt homines, cum quibus malim consentire, quam cum Wittembergensibus. Summo studio et contentione egerunt, ut viderentur nobiscum concordes, ita ut hanc vocem nunquam ex me possent ferre: Vos habetis alium spiritum quam nos. Ardebant toti, quoties haec audiebant. Tandem id concessimus, ut articulo ultimo ponitur, ut Fratres quidem non essent, sed tamen charitate (quae etiam hosti debetur) nostra non spoliarentur. Ita indignissime affecti sunt, quod Fratris nomen obtinere non potuerunt, sed pro haereticis discedere, tamen sic ut pacem interim haberemus mutuis scriptis, si forte Deus illis aperuerit cor. Haec secure narrabis. Sic ego sum Christi praedicator, imo si Christus est veritas, haec etiam vera scribo, ut habeas quod mendacibus, si nolint quiescere, opponas. Incredibili enim humanitate et humilitate sese gesserunt erga nos. Sed, ut nunc apparet, omnia ficte, ut nos traherent in simulatam concordiam, et participes ac patronos facerent sui erroris. O astutum Satanam, sed sapientiorem Christum, qui servavit nos. Ego iam desii mirari, si impudenter mentiantur, Video eos aliud non posse, atque glorior isto casu, videns eos, regnante Satana, iam non insidiis, sed palam sese mendaciis prodere.

V. Oecolampadius ad Berchtoldum Hallerum Bernensium pastorem (Hosp. hist. sacr. P. II. fol. 83, a. lin. 27—84, a. lin. 30).

Comperta nobis est, frater, seculi nostri ingratitudo et malignitas: Nihil illi satisfacit, tam fastidiosi fastuosique palati est, ne dicam delicati: nihil relinquit inarrosum, etiamsi optime fidelissimeque gestum. Offendimus passim carpentes omnia, quasi ipsi non nisi optima quaeque sectentur. Ea propter nihil inexpectatum nuncias, narrans quod cum Papistae, tum Catabaptistae, ex Colloquio nostro Marpurgensi offendantur, imo glorientur nos victos. Miramur potius, quod non magis ineptiunt, et malignitatem suam produnt. Gratulari oportebat, et nihil non facere, si qua solida inter Ecclesiae Doctores concordia renasceretur. Iam sunt qui dolent, ubi aliqua pacis indicia spectant. Multum clamarunt antea, tantis nos odiis dissidere, tamque impotentes affectuum nostrorum, ut nihil hostilius censeri queat. Nunc vero ubi pacifice convenitur, datisque dextris disceditur, etiamsi non toto negotio perfecto, alia habent quae calumnientur. Verum morem geram tibi, urgenti, ut quibusdam illorum sycophantiis respondeam: quo habeas, quibus illorum obturentur ora, qui in articulis nostris vellicandis tam acuti sunt. Ecce descendimus vocati ab optimo, vereque Christiano Principe, non ob aliam quam Eucharistiae causam ventilandam. Erant enim qui putabant, in solis verbis esse dissidium: sententiam vero non admodum diversam et inconciliabilem. Atqui, ut perventum ad Colloquium, cum privatum, tum coram Principe, Lutherus ad alia, quae concorditer confitemur, sese convertit. Mendax enim rumor, ne suspicioni imputem, traduxerat nos, quasi de Christo, deque Triade sanctissima, item de fide ac Ministerio verbi, parum pie sentientes: et quales hinc inde in conventiculis suis Catabaptistae καινοτομῦσι, commiscuntur, imo reducunt errores. Responsum est illis, nos nec eam ob rem comparere: deque his, quae rogabamur, ita pie sentire, ne sit quod in nobis iusto desiderent. Qui enim Christum unum, verum et Deum, et hominem fatemur, et fide in illum nos salvos fore speramus, ab hisce blasphemiis satis alieni sumus. Quamvis autem de his, non valde pluribus, coram Principe actum: attamen quoniam in re Eucharistiae nondum etiam post triduanum Colloquium conveniebamus, visum est plerisque, vel hoc orbi iudicandum, in caeteris causis fidei, ut articuli sonant, nullum inter nos esse dissidium. Et nihil quidem vi disputationis obtentum est: sed ut articuli Zuinglio et mihi praelecti, quaedam verba duntaxat mutare petiimus, propter contentiosos quosdam, qui verba magis quam verborum sensa urgent. Nihil igitur victoriarum utrinque, ubi nihil praelii vel digladiatiunculae: quicquid clancularii obtrectatores illi effutiant. Videamus autem, quaenam sint illa, quae istis tam vehementer displicent.

Principio obiiciunt, quod nostram sententiam Conciliorum authoritate approbemus, qui hactenus nihil praeter Scripturam admittere soliti simus. Sed dicant isti: ubi unquam Concilia reiecimus, verbi divini authoritate suffulta. Quin et alibi saepe propter eos, qui multum

illis tribuunt, usi sumus illorum dictis. Sunt enim illa prima quatuor Oecumenica Concilia, quantum ad fidei dogmata attinet, vere sacrosancta, et in verbo Dei fundata, a nulloque fideli unquam reiecta. Execramur enim et nos Paulum Samosatenum, Arrium, Eunomium, Sabellium, Nestorium, Eutychen, et Dioscurum, contra quos illa congregata sunt. Placet Confessio fidei Patrum: sed quaedam pro honestate morum statuerunt: illa eatenus recipimus, quatenus charitati libertatique Christianae non praediiudicant. En etiam apud Papisticissimos Canones illi vigorem suum amiserunt. Nos si charitatis regulam non praevaricamur, Conciliorum robur non enervamus. Et sic pie sentientes, quare contradiceremus? Quur illi non potius lenitatem commendant?

Deinde obiiciunt illi, quod verbo externo Spiritum ac fidem allegemus ordinate loquendo: quasi Spiritus libertas, ut dum spirat ubi vult, deordinatio sit. Haec qui improperant, non intelligunt, quid dicamus ordinatum. Scis enim duplicem esse potentiam Dei, unam absolutam, alteram ordinatam, ut vocant. Cum igitur dicimus, Spiritum fidei per verbum nobis communicari, de solito ordine Dei loquimur: nolentes interim angusto limite divinam potentiam concludi. Hunc autem esse ordinem et morem Dei, docet Paulus dicens: Quomodo credent ei, de quo non audierunt? Quare ergo illi inferunt, quasi ex libertate deordinationem faciamus: servat enim et sic suam libertatem Spiritus sanctus, ut solis electis se communicet. Quod si minus admisissemus, nonne ministerium verbi, ut Catabaptistae quidam, abstulissemus? Interim non derogamus potentiae divinae absolutae, quod etiam ante auditum verbum externum, hominem instruere possit. Proinde non dicimus, gratiam Spiritus sancti esse alligatam, ut illi calumniantur: sed fatemur Dominum per Spiritum sanctum cooperari praedicantibus, ut Marcus habet.

Quod tertio apponitur, videtur non sine ratione fieri: et nos quoque non facile assensissemus, nisi ex aliis conclusionibus sinceritas colliquesceret. Non invenis in verbis nostris, quod dicamus cum his verbis, Qui crediderit et baptizatus fuerit, institutum esse Baptismum: pridem enim illum Christus sanctificarat, a Ioanne tinctus: et Apostoli baptizarant. Iam quod dicimus opus esse Dei, ideo fit: quia non ab homine institutus est, etiamsi externus sit, et ab homine praestetur: sicut et Evangelium, quod docemus, non est humanum verbum, sed verbum Dei, siquidem ad imperantem Deum respicias: quemadmodum si praeco iubeat, quod rex praecepit, non praeconis, sed regium verbum et opus est.

Item, quod vellicatur, quia diximus, Baptismum non esse solam tesseram et nudum signum, quo Ecclesiae accensemur: sed etiam fidem exposcimus: quur hoc negaremus? Est enim symbolum Christianorum. Et qui sunt Christiani, nisi qui in Christum credunt? Exposcitur autem fides vel iam praesens, vel quae expectatur secutura: nihilominus est signum fidei. Ecce mi frater, si et Eucharistiam dixero tesseram fidei in Christum crucifixum, nunquid aberrabo? minime. Nam alioqui mortem Domini non annunciarem. Nunquid igitur quorundam hypocrisis, Domini benedictionem evacuabit, ut ipsum sacramentum non sit tale

tantumque sacramentum? Non est igitur, quod vel Papistae vel Catabaptistae vincant, si pueris nondum adultis signum fidei detur. Atque adeo ipse non negarim, aquam Baptismi esse aquam regenerantem: fit enim puer Ecclesiae, qui dudum ab Ecclesia non agnoscebatur.

Offendit etiam inquietos illos homines, quod liberas Traditiones relinquimus, si cum verbo Dei non pugnent. Et nec illius articuli poenitere potest. Verbum enim Dei, ac charitatem complectitur: quas si Ceremoniae non laedunt, quare minus tolerabiles sunt? alioqui nulla unquam nobis pax constabit? Similiter pacificus homo, qui rationem sacramentorum novit, facile percipit, quomodo ad gratiam Dei per Baptismum recipiatur puer. Quos enim illa docent? num Deum? num pueros? Nec illum, nec hos: sed alios praesentes, qui hoc symbolo admonentur, puerum ad gratiam Dei pertinere. Non autem elemento aquae, sed sanguini Christi, per Spiritum, in fide dignitatem abluendi tribuimus. Neque ergo superstitionem dixerim mulierum, si infirmos pueros tingi festinent: nisi etiam calculum et iudicium Ecclesiae pro nihilo habere nolim.

Demum hoc vere contentiose observatum est, quod admittimus appellari Eucharistiam sacramentum altaris, quasi approbemus aras Papisticas vel Lutheranas, in quibus sacrificetur. Atqui nos pacis gratia nec sacrificii vocabulum abhorremus, si non subesset dolus. Quid mali igitur, si mensam Dominicam altare vocemus? Appellamus igitur a lividis istis ad candidos Lectores et christiane cordatos, qualis tu. Habes igitur brevibus opinor, quod petebas. Mihi non est animus omnium nugis posthac respondere. Tecum tamen, pro nostra familiaritate, haec et alia libenter confero. Reliqua nostri et vestri Legati. Basileae 16. die Ianuarii, Anno 1530.

VI. Bucerus in praefati onead Commentaria in Evangelia (Hosp. hist. sacr. Vol. II. fol. 84, a. Lin. 43 — 84, b. Lin. 46.)

Ex nostris (nostros enim habemus, qui eundem nobiscum Christum praedicant, quales quales ipsi nos habeant) dixerunt, alii sub pane Christi corpus contineri: alii per, Hoc, demonstrari non panem, sed ipsum corpus Domini, quod pro nobis passum est: alii idem, sed simul inclusa similitudine panis, ut demonstratio sit ad intellectum, non sensum, Verus enim panis verus est cibus, Christi corpus, sed ad vitam aeternam. Hi omnes Tropum inesse his verbis agnoscunt, hi Synecdochen, alii Metonymiam. Adhaec pariter cuncti fatentur, praecipuam esse, et solam per se salutiferam, manducationem Spiritus, quae fit per fidem. Unum hoc controvertitur, an simul re ipsa et corporaliter Christus suum corpus manducari voluerit, sive sub panis speciebus, sive sub ipso pane. Nam neutri inficias eunt, hanc Christi manducationem per se adeo saluti non esse, ut etiam perniciem adferat, si desit illa spiritualis. Quam digna vero causa tanti tamque perniciosi schismatis? Nos itaque etsi non dubitemus, non solum citra omnem Scri-

pluram hanc corporalem manducationem adseri, sed etiam hinc sequi, Christum servatorem non esse verum pro nobis hominem factum, indeque evanescere, quo maxime spes nobis nititur resurrectionis, rationem Novi Testamenti tolli, gloriam Christi iam ad dexteram Patris regnantis imminui, quae denique de sui manducatione Ioan. 6. cap. disseruit everti: dum tamen perpendimus, plerosque dogmatis huius sectatores a Christo in omnibus pendere, dilectionis officiis sedulo incumbere, imo hoc quo ipsi haec verba sensu accipiunt, a Christo dicta nihil addubitare: agnoscimus nostrum esse, non quid per se ex hoc dogmate, sed quid in illorum sequatur conscientia, spectare, utque obtinere apud ipsos ex tam certis indiciis, maxime vero omnium ex syncera illa dilectione, studioque servandae unitatis Ecclesiae, Spiritum Christi cernimus, ita eos esse Christi dubitare nequimus. Haec sane causa fuit, quod, cum Marpurgi essemus, Luthero et suis societatem in Christo obtulerimus, atque apertis nos scripturis probaturos receperimus, atque ex ipsorum officio esse, nos vicissim fratrum apud se loco dignari. Nunc scribunt quidam parum Christiani iuris consulti, nos illos orasse, ut fratres nos agnoscerent, quod strenue nobis negatum sit. Idque scribunt de illis honoris causa. Nos autem nihil puderet, etiam quemlibet, in quo Christi aliquid appareat, precari ut fratris locum apud se concederet, si ad hoc id precari satis esset. Affirmabant illi, sibi per conscientiam haudquaquam licere nos in fratres recipere, quapropter ineptum fuisset, eos orare, quo admisso contra conscientiam suam fecissent. Non igitur, ut in numerum fratrum nos adscriberent, sed ut audirent ex Scripturis probantes, nos illis adscribendos esse, precati sumus. Et indubie si Dominus eis daret, affectus, qui modo turbant, paulisper semovere, utique visuri essent, nihil prorsus sibi causae adeo abiiciendi nos relinqui: Christum etenim simul confitemur nostrum servatorem, ex dilectione quantum licet vivere studemus, nihil est ex omni Christi doctrina, quod non certissim a fide amplectamur: ipsa quoque verba Coenae singula quam religiosissime recipimus, verum cum ea non habeant, in pane manducari Christi corpus corporaliter, idque tot aliis apertissimis Scripturae locis, ut nobis quidem datum est illos intelligere, manifesto repugnet, hanc unam corporalem Christi manducationem, quae per se saluti esse ne ab ipsis quidem affirmatur, negamus, huc sola Christi religione, quantum ipsi quidem nobis coram Deo conscii sumus, acti. Hac denique causa tam noluimus hactenus ab illis secedere, ut nihil omnium, quae vel ullo pacto retinendae fraternitati crediderimus inservitura, sola excepta veritatis hac in re, quam tacere religio erat, confessione, et ea perquam modesta, praetermiserimus. Id testabitur posteritas, et videbit verum universus orbis, cum Christus ad iudicium redierit. Quis iam igitur non videat praeposteram esse, quae vel praetexitur vel vere incessit religio, ne nos, quicunque demum illi sint, sunt enim, gratia Domino, haud quaquam multi, fraternitatis iure secum permittant? Nam aut nullos hi dissentientes in rebus sacris fratres agnoscent, quod si volent, nemo alteri vel inter ipsos frater erit, aut si aliquos in fratrum numerum admittunt, et nos admittere oportebat.

VII. Relatio ex duobus Manuscriptis in Sculteti Annalibus ad A. 1529. P. II. p. 215 Lin. 21 — 229 Lin. 18.

Cum igitur existimatum sit, non solum Lutherum, sed Melanchthonem etiam, in Actorum Colloquii Marpurgensis expositione humani quid passum esse: contuli bona fide duo MSS. istorum Actorum, quorum alterum Helvetia, alterum Bibliotheca Cl. Vir. Wilhelmi Schumanni I. C. Consiliarii Archipalatini, meique in sacro Consistorio Collegae honorandi, mihi suppeditarunt. Quorum fide si standum est, missis altercationibus, quae in hoc colloquio intercurrerunt, realissima haec fuere:

Lutherus, facta sibi a Landgravio exordiendi potestate, primum de Deitate Christi, de duabus naturis in Christo, de peccato originali, de baptismo, de iustificatione fidei, de potestate clavium, de verbo vocali, de purgatorio, et aliis nonnullis prius disserendum statuit, quam de Eucharistia: quandoquidem et in illis a Saxonicis Theologis dissentirent Helvetii. Ad quae Oecolampadius, se quidem sibi conscium esse respondit, quod de articulis memoratis nihil a Luthero diversum unquam docuerit. Si qui sint, qui alicubi erronea protulisse videantur, illos defensionem sui ipsos suscepturos. In hoc quidem Colloquio de Coena sacra agendum esse. Idem fere respondit Zwinglius addens, extare suam de iustificatione sententiam in eo libello, quem *de claritate verbi* edidisset. Itaque de Coena Domini nunc agendum. Lutherus igitur de Eucharistia disputaturus, protestatur initio, se a littera verborum Domini, *Hoc est corpus meum*, ne latum quidem unguem recedere posse: qui contra sentirent, argumenta causae suae proferrent.

Oecolampadius igitur primo omnium docet, negari non posse, in sacra Scriptura figuratas alicubi esse locutiones; ut metaphoras, metonymias, et id genus alias, in quibus voces aliud significent, quam sonant: fieri igitur posse, ut et istis verbis, *Hoc est corpus meum*, figura insit; quemadmodum illis: *Ioannes est Elias; Petra erat Christus; Ego sum vitis*; *Semen est verbum.*

Largiente hoc Luthero, pergit Oecolampadius, asseritque, oportere etiam verba Domini figurate accipi, argumento hoc usus:

Quod Christus Ioan. 6. reiecit, id in verbis Coenae non instituit.

Oralem manducationem corporis sui Christus Ioan. 6. reiecit.

Ergo in verbis Coenae eam non instituit.

Lutherus assumtionem negat, affirmans; *non ipsam manducationem oralem, sed manducationis modum, crassum illum, qualis est carnis bovillae aut suillae, reiici.* Oecolampadius, arrepta inde occasione, de duplici verborum Christi intelligentia disserit, humili sive carnali, et sublimi sive spirituali. *Humilem* sive carnalem verborum Christi intellectum eum esse, quem Lutherus asserat, a Christo repudiatum: spiritualem sive sublimem esse illum, quem Christus iusserit amplecti. Contra Lutherus: fieri non posse nec debere, ut ad Spiritualem tantum intellectum verba Coenae referantur: siquidem remissio

peccatorum, vita aeterna ac regnum caelorum carnalibus istis ac humilibus, ut appareant, rebus, per verbum Dei annexa sint.

Oecolampadius rursum, spiritualem manducationem tantum praecipi Ioan. 6. et ad salutem satis esse; corporalem nec praeceptam, nec utilem esse contendit. Cui Lutherus: manducationem spiritualem se minime negare, imo necessariam esse docere. At male inde concludi, corporalem inutilem esse et non necessariam: cum Christus, id quod negari non possit, eam instituerit, dicens, *Hoc facite*: cuius mandato parere pios omnes deceat, nec quaerere, utile sit nec ne: quandoquidem satis constet, verba eius, ubicunque sunt, esse vitae aeternae verba. *Si iuberet*, inquit, *fimum comedere*, *facerem*: *satis sciens*, *hoc mihi esse salutiferum*. Uterque tandem protestatus est, se in sua sententia perseveraturum, quando neuter alteri satisfecisset.

Congressus deinde cum Luthero Zwinglius praeiudicii Lutherum accusat, protestantem, se a sua nolle decedere sententia: deinde praefatur, nihil se acerbe adversus Lutherum dicturum, nec meminisse velle eorum, quae durius fortassis alter in alterum scripsisset: tantum operam daturum, ut, quantum liceret, veritas e tenebris erueretur: rogat simul, ut propter hanc dissensionem crimen haereseos nemini impingatur. Colligit deinde ex sexto cap. Ioannis: quandoquidem Christus Iudaeorum errori, de carnis suae manducatione orali, occurrere voluerit; verba illa, *Caro non prodest quicquam*, ad Christi manducationem oralem necessario esse referenda. At hoc sibi minime adversari Lutherus infert: probari enim tantum, *carnem Christi manducatam esse inutilem*, quod de impiis concedat: et licet de piis quoque concederet, tamen non sequi, Christi corpus in Coena non adesse, adeoque figurate Coenae verba esse exponenda. Hoc igitur Zwinglio esse demonstrandum. Zwinglius, scripturas inter se esse conferendas, monet: tropos usitatos esse in Scriptura: ut cum audis, *fratres Christi*: et signatum pro signo saepe poni: ut Ezechielis cap. 5. de barbae in tres partes divisione; ubi *est* pro *significat* accipitur: item, *Phase* [פסח] *est transitus*. Eandem verborum Coenae esse rationem: quod ex Ioan. 6. docuit: ubi spiritualis manducatio praecipiatur, carnalis repudietur.

Lutherus: *frater*, pro *patrueli*, ex Scriptura probatur: sed hic, *Hoc est corpus*, tropus non potest probari. Allegorica esse, non significativa, quae ex Ezechiele, ex Phase, proferantur. Spiritualem manducationem se agnoscere: sed illam corporalem non excludere. Atque haec horis matutinis die Saturni acta.

A meridie Zwinglius cum Luthero congressus ursit haec:

I. Christum Ioan. 6. spiritualem manducationem inculcando, carnalem repudiasse: et ipsummet Lutherum in Postilla, Dominica Septuagesimae, haec Christi verba, *Caro non prodest quicquam*, non de carnali intellectu, sed de ipsa Christi carne exposuisse. Philippum etiam scripsisse in eundem locum, *verbo Christum tantum manducandum esse*.

II. Patres orthodoxos verba Christi non ad cibum, sed ad resurrectionem retulisse.

III. Philippum in privato colloquio concessisse, *verba nihil aliud*

quam significare: quod si verum, utique corpus Domini non esse in pane.

IV. Tropum in verbis Domini necessario statui: quia fidei articuli hoc velint; *Ascendit in caelum, sedet ad dextram Patris.*

Respondit Lutherus:

Ad I. Hic non agi, quid vel ipse, vel Philippus scripserint: ideo suorum se nihil hic defendere, nisi quatenus verbo Dei consentiat: hoc vero probandum, corpus Christi in Coena esse non posse.

Ad II. Se id largiri libenter: sed inde non sequi, carnem Christi vel cibum non esse, vel inutilem esse.

Ad III. Verum quidem esse, quod Philippus dixerit, *verba tantum significare*: sed cum iussu ac nomine Dei proferuntur, tum non solum significare, sed simul etiam efficere atque afferre id quod significant. Atque hoc loco altercatio suborta de quaestione: *An malus sacerdos corpus Christi efficere possit, nec ne*: Zwinglio negante, Luthero affirmante.

Ad IV. Quaesivit Lutherus, cur non potius in verbis articuli, *Ascendit in caelum*, quam in verbis Coenae, *Hoc est corpus meum*, tropum fingeret Zwinglius. Respondente Zwinglio, verba symboli tropo non egere; subiecit Lutherus: nec verba Coenae.

Oecolampadius subsecutus, pugnavit his argumentis contra oralem corporis Christi manducationem:

I. Si ingressus in regnum caelorum per solam regenerationem contingit, inutilis est corporis Christi in Coena ad hunc finem corporalis manducatio.

At verum prius. Ioan. 3. *vers.* 3.

Ergo et posterius.

Respondit Lutherus: Deum creandae, erigendae atque augendae in nobis fidei plures modos ac rationes habere: si audiamus verbum vel publice, vel privatim: si baptisemur: si vescamur corpore Domini: nec nostrum esse quaerere huius rei causas. Male igitur colligi: *Regeneratio caelum aperit*: Ergo *corpus Christi in Coena non est, aut inutile est.* Imo ad istam manducationem omnino novum regeneratum hominem requiri, qui credat et vere manducare possit.

II. Christus reliquit mundum, ivit ad Patrem.

Non igitur corpore suo est in pane.

Respondit Lutherus ex Luc. 24. *Haec sunt verba, quae locutus sum ad vos, cum adhuc essem vobiscum:* unde intelligi voluit, quomodo Christus mundum reliquerit.

III. Per quod dogma spes resurrectionis nostrae tollitur, id erroneum est.

Sed per dogma de orali manducatione corporis Christi spes illa tollitur.

Ergo etc.

Minor probatur ex cap. 8. ad Romanos: *Scientes, quod is qui Christum suscitavit ex mortuis etc.*

Respondit Lutherus: istam spem non solum non tolli ac cripi nobis ista corporis Christi praesentia, sed multo magis erigi ac confirmari,

cum sit annexum promissae gratiae verbum. Tandemque ita conclusit: *Nos carnem valde, imo omnino utilem habemus, quam nulla Scriptura, nulla expositio, nulla humana ratio, auferre nobis potest: si vos carnem inutilem habetis, id per me vobis licet: nos verbo Dei nitimur: verbum autem Dei dicit primum, Christum habere corpus; hoc credo: deinde idem corpus ascendisse in caelum, et sedere ad dexteram Patris: hoc quoque credo, debet item hoc ipsum corpus esse in coena, et dari nobis ad manducandum; quod etiam credo. Quia Dominus meus Iesus Christus hoc facile potest, cum vult: et velle se in verbis suis testatur, quibus ego nitar constanter, donec ipse per verbum suum diversum mihi dixerit.*

IV. Verum corpus est in loco uno simul et semel.
Corpus Christi est verum corpus.

Ergo etc.

Respondit Lutherus: Mathematicum esse argumentum, quod non sit huius loci; Scripturae testimoniis opus esse.

V. Scriptum est Matth. 26. *Pauperes semper habetis vobiscum: me autem non semper habebitis.* Unde sic colligit Oecolampadius: *Secundum divinitatem gratiam ac potentiam suam omnibus semper et ubique adesse Christum: quando autem abfuturum se esse dicit, secundum humanitatem abesse: In coena igitur corporaliter non esse.*

Respondet Lutherus: argumentum hoc unum inter prolata omnia speciem quandam habere: verum, si adversariis dictum hoc cum coenae verbis videatur pugnare, quaerit: cur non in hoc potius, quam in verbis Domini tropum constituant. Hunc enim suo iudicio germanum huius loci sensum esse: *significasse Christum, se non semper nobis sic adfuturum, ut officiis nostris egeat: daturum vero pauperes, quibus suo nomine benefacere possimus;* rursum allegans illa Christi: *Hoc locutus sum vobis, cum adhuc essem vobiscum.* (Hic quaedam interiecta sunt de vera Christum exaltatum considerandi ratione.)

VI. Si Christus corpus suum nobis dedit, ubique tale dedit quale habuit: habuit autem passibile ac mortale: non igitur corporalis, sed spiritualis manducatio requiritur.

Respondet Lutherus: argumentum esse rationis: corpus utile ad manducandum sibi proponi: an vero mortale vel passibile sit, quae accidentia sint, nihilo magis se curare, quam qua veste Christus in coena indutus fuerit.

Zwinglius rursum, Mirum esse ait, *Lutherum tropum in verbis coenae nolle agnoscere, et tamen Synecdochen statuere.*

Respondit Lutherus: hanc figuram non in sacra scriptura modo, verum et in omni idiomate tam frequentem esse, ut eius usu carere minime possimus. Est autem, cum continens contentum secum trahit, et econtra: ut si dicat rex servo, *adfer mihi gladium meum*, ubi simul etiam vaginam adferri vult, tametsi non exprese in verbis sic iussit. Ita et haec figura in Sacramento admittitur, quando *panis* appellatur, cum interim nihilominus *corpus* etiam significatur, et econtra.

Tum Zwinglius sic collegit:

Si corpus Christi in diversis locis est, nosque ipsi conformes fieri debemus: Rom. 8. *utique et nostra corpora in eodem momento in pluribus et diversis locis erunt.*

Item, *si per omnia similis est nostri, in habitu nostro inventus:* Philipp. 2. *et nos in diversis locis esse non possumus: ergo nec ipse poterit, nimirum similis nobis existens.*

Respondit Lutherus: argumentum hoc a conformitate seu similitudine ad praesens institutum nihil facere, esseque rursum *argumentum ab accidente ad substantiam*: quod etiamsi maxime valeret, tamen aliud non probaret, quam similem nostrorum corporum cum corpore Christi formam fore; et simul non sequi necessario, quod et in potentia simus illius corpori similes futuri, nisi Deus ipse singulari consilio ac modo dispensare vellet. Deinde quantum ad secundum argumentum, quod item ab accidente ad substantiam ductum esset; *si ad hunc modum colligere vellent, probare eos facile posse*, quod uxorem, nigros oculos habuisset; quia esse in loco accidens est.

Tandem Lutherus verba testamenti proferens, *Hoc est corpus meum*: ea Germanice sic reddidit: Meine allerliebste herrn: Dieweil die wort meines Herren Jesu Christi allda stehen, Hoc est corpus meum; so kann ich warlich nicht vorüber, sondern muß bekennen und glauben, daß der leib Christi da seye.

Ibi Zwinglius illico prosiliens: Ergo et vos, Domine Doctor, Christi corpus localiter ponitis in coena? Dicitis enim: Der leib Christi muß da seyn, da, da. *Ibi* est adverbium loci.

Respondit Lutherus: Christi verba simpliciter se retulisse: nihil minus quam eiusmodi captiones metuisse: quando autem sic captiose agere vellet, sese de his, quemadmodum supra, protestari: sibi cum Mathematicis rationibus nihil rei esse: adeoque adverbium *ibi* ex coenae textu reiicere et repudiare. Verba sic sonare: *Hoc*, non *ibi*, est corpus meum. An vero in loco vel extra locum sit: hoc se nescire malle, quam scire: siquidem Deus nondum revelaverit, nec quisquam mortalium probare possit.

Die Dominica mane Zwinglius et Lutherus congressi sunt: et Zwinglius quidem denuo ursit argumentum:

Corpus Christi est finitum:
Ergo *in loco.*

Lutherus denuo Mathematicas rationes reiicit, ad omnipotentiam Dei confugit.

Zwinglius: *a posse ad inesse* collectionem nullam esse: probandum, unum corpus in diversis locis esse. Cui Lutherus: id se iam saepius istis verbis probasse, *Hoc est corpus meum.*

Zwinglius perpetuam illi petitionem principii obiicit: et ex Fulgentio probat, antiquitatis quoque hanc fuisse sententiam; *corpus Christi esse in uno loco.* Fulgentii testimonium elusit Lutherus affirmando, Fulgentium ibi non loqui de coena: probavitque iterum per verba coenae, *Hoc est corpus meum*, corpus Christi in multis locis esse. Verba eius Germanica fuere: Christi leib mag seyn an vielen

orten; denn er sagt: Das ist mein leib; da ist er nu im brot. Ibi Zwinglius: Si ergo *ibi* est in pane, ergo *ibi* est ut in loco. En captum te habeo, Luthere. Ad quae Lutherus: Sive sit in loco, sive non, Deo committo: hoc mihi satis est, *Hoc est corpus meum.*

Regerit Zwinglius: ipsissimam esse petitionem principiorum, et rixosam contentionem. Perinde enim esse, ac si quis identidem urgeat, ista verba clara esse, quae Christus in cruce ad Mariam matrem pronunciavit, *Ecce filius tuus*: cum tamen Ioannem non Mariae filium naturalem innuerit. Respondendum esse ad quaestionem, *An corpus in uno sit loco?* Respondit Brentius: *esse in uno loco.* Zwinglius coepit legere verba Augustini ad Dardanum: quibus profitetur, *corpus ne corpus quidem esse, nisi sit in uno loco.* Lutherus subiicit, Augustinum ibi non loqui de coena Domini: conceditque, *corpus Christi non esse in Sacramento, tanquam in loco.* Unde illico Oecolampadius concludit: *non igitur corpus Christi ibi esse corporaliter, vero corpore, quandoquidem proprietas corporis sit esse in loco.*

A prandio Oecolampadius repetit, quod Lutherus mane confessus fuerat, *corpus Christi non esse in Sacramento, tanquam in loco*: et humanissimis verbis petit, ut missis omnibus litigiis declaretur, *quomodo Christi corpus sit in Sacramento*: siquidem Lutherus mane confessus sit, corpus Christi esse ibi, sed non localiter. Estque iterum praelectum testimonium Fulgentii et Augustini. Ad quae Lutherus: Ich lasse mich nicht weiter bringen, hoc est, non patior me ulterius cogi: *vos Augustinum et Fulgentium habetis: sed reliqui Patres a nobis stant.* Oecolampadius: *Nos vero audire Patres illos cupimus, qui nobis faveant. Scimus enim et illos nostrae esse sententiae.* At Lutherus: *Non nominabimus illos: sufficiunt nobis Christi verba,* Hoc est corpus meum. *Augustinus quae de hac causa scripsit, iuvenis scripsit, et intricate scripsit.* Oecolampadius protestatur: *non ideo a se citari Patres, quasi causam suam illorum autoritate velit tueri, sed ut calumniam novitatis a sua doctrina repellat.* Adducit igitur alium locum Augustini, probaturus, *Christum corpus habuisse, quod in loco esse oportuerit*:

Verum corpus est locale:
Christi corpus est verum corpus:
Ergo *est locale.*

Respondit Lutherus: *sese iam antea ad hoc argumentum saepius plus satis respondisse: si alia iis firmiora haberent, ea proferrent: istis argumentis a textu coenae in aliam sententiam se abduci non posse.* Tum Oecolampadius: *Si istis talibus moveri nolit, se frustra mille Patrum sermones prolaturum. Itaque satius sibi videri, ut a disputatione utrinque cessetur.* Lutherus hortatur Zwinglium et Oecolampadium, ut concordiae studeant, et sibi assentiantur, clarissimo Dei verbo nitenti. Contra Zwinglius, Oecolampadius et Bucerus protestantur coram toto auditorio: *Lutherum suam de Eucharistia sententiam verbo Dei non defendisse: errorem ipsi liquido ostensum; veritatem autem causae tum ex*

scripturis sacris, tum ex antiquissimorum Patrum testimoniis, abunde satis esse demonstratam.

Atque hic est finis Colloquii Marpurgensis, quod novus tum morbus, *sudor Anglicus* nominatus, interrupit. Ne fructu omni caruisse videretur, conscripti sunt Articuli, in quos pars utraque consensit, controverso manente capite illo de modo praesentiae corporis et sanguinis Christi in coena. Qui quidem Articuli cum Zwinglio et Oecolampadio praelegerentur, petierunt illi quaedam verba duntaxat mutari, propter contentiosos quosdam, qui verba potius quam sensum urgeant. Sunt autem Articuli isti, de quibus convenit inter eos, qui nomina sua subscripserunt, die tertio Octobris.

VIII. Brentius Schradino ceterisque Ecclesiae Reutlingensis Symmystis. 14. Nov. 1529.

Accepi literas tuas, rationem Colloquii nostri in *Marburgo* postulantes. — — Sed ratio instituti Colloquii non fert, ut cuncta in ordine, prout dicta collatave sunt, describam. Nullus enim praesto aderat Notarius, qui causam notis suis exciperet, nec cuiquam auditorum licebat omnia calamo adnotare, ut nihil ex eo Colloquio a quoquam relatum sit, nisi quod custode memoria reservatum fuerit. Principio *Lutherus* et *Oecolampadius* soli, deinde *Philippus* et *Zuinglius* soli, remotis omnibus arbitris, ad aliquot horas, argumenta rei sacramentariae inter se contulerunt. Posteaquam vero illa Collatione nihil effectum est, ventum est ad publicum Colloquium, sed ita publicum, ut pauci admodum admitterentur. Aderat semper Princeps *Hessus*, aliquot eius Consiliarii, aliquot Nobiles et Magnates, aliquot eruditi; numerasses 50 aut 60 ad summum Colloquio praesentes. Omnia humanissime et summa cum mansuetudine transigebantur, nisi quod *Oecolampadius*, quem omnes sperassemus mitiorem, interdum videbatur paulo morosior, sed citra contumeliam. Et *Zuinglius* duritiem sermonis sui in naturam reiiciebat. Audivisses ibi nullos alios titulos quam hos: Amicissime Domine, Vestra charitas, et id genus alios. Nulla ibi mentio σχίσματος, nulla αἱρέσεως, dixisses *Lutherum* et *Zuinglium* fratres, non adversarios. Initio autem *Lutherus* coryphaeus noster, verba Coenae proponebat: hoc est corpus meum, adseverans, se ex illis verbis cogi, ut fateatur praesentiam corporis Christi in pane. Quem intellectum, si adversarii non reciperent, probare deberent e Scriptura, non esse recipiendum. *Zuinglius* ad haec respondens obiiciebat veterem suam cantilenam: Caro nihil prodest. Quod cum *Lutherus* ita dilueret, ut diceret, Christum non loqui de sua carne, aut si maxime de sua carne intelligeretur, non tamen possit de sacramentali comestione; faciebat enim tres comestiones: alteram spiritualem, quae est fides; alteram Capernaitam, quae Ioh. VI. describitur; alteram sacramentalem in Coena institutam, quae hanc habet rationem, ut corpus Christi edatur quidem in pane praesens, sed non dilanietur, quemadmodum Capernaitae intelligebant. Et adversarii pro suo more

responderent eadem fere, quae antea scriptis invulgata sunt. Dilapsus est in ea collatione medius dies et sic discessum, ut auditoribus relinqueretur iudicium, utra pars alteram vicisset. Postea ab adversariis nobis obiectus est articulus fidei: ascendit in coelum. Si, inquiunt, Christus secundum corpus in coelo est, qui potest corpore in pane adesse? Quando unum corpus non potest esse in diversis locis. Haec *Lutherus* depellens, ait, corpus Christi in pane adesse, non sicut locatum in loco, sed eo modo, quem Deus novit. Praesens tamen vere adesse. Ad haec *Zuinglius*: Si corpus non est in loco, non erit corpus. Aufer locum, inquit, et abstuleris naturam corporis. Illam *Zuinglii* obiectionem *Lutherus* egregie refellebat, ut adversarii ne γρὺ quidem contra hiscere auderent. Dicebat autem *Lutherus*: Deum esse omnipotentem et posse conservare corpus sine loco, nec posse solum, verum etiam actu facere. Mundus enim, inquit, corporum omnium maximum est, et tamen iuxta physicorum quoque sententiam in nullo loco est, quando extra mundum nec sit locus nec tempus, et Aristotelici pronuncient, ultimam Sphaeram non esse in loco. Adiiciebat *Lutherus*: Disputationem de locis et eorum naturis esse mathematicam, Theologiam seu potius omnipotentiam Dei esse super omnem Mathematicam, proinde se nolle in hac harena et in argumento theologico ad divinam omnipotentiam pertinente, de locis mathematicis disputare, quamquam eam disputationem alias privatim detrectare nollet. Ad haec Adversarii obmutescentes, quid enim contradicerent? producebant Pauli dictum: Nunc non novimus Christum secundum carnem. *Lutherus* vero manifestis argumentis docebat: „secundum carnem" pro more Paulino, non de carne Christi corporea intelligi, sed pro carnalibus affectibus, quemadmodum abunde in suis libris exposuit. Cum et hic succubuissent adversarii, ad eum locum velut ad sacram Anchoram et Asylum confugerunt, qui est scriptus Hebr. 2. Debuit fratribus per omnia adsimilari, et Rom. 8. Quos praescivit, etiam praedestinavit, conformes fieri imagini filii sui. Si, inquiunt, debuit Christus nobis per omnia, absque tamen peccato, similem fieri, et nos Christo conformes erimus, consectaneum fuerit, quod sicut nos in uno tantum loco sumus, ita Christus oportet in uno tantum loco esse, aut et nos sine loco, seu etiam in pluribus locis simul esse. *Lutherus* autem respondet: Paulus in his locis non de omnium rerum aequalitate inter nos et Christum loqui, alioqui oporteret etiam Christum duxisse uxorem, aut in Germania diutinum contubernium egisse, sicut nos; sed de aequalitate aut similitudine passionis et glorificationis. Ad illa quoque muti erant adversarii, ad veteres Patres appellantes, quorum dicebant sententiam fuisse, corpus Christi non esse in coena, sed in coelo, *Augustinum* prae omnibus iactantes. Sed *Lutherus* negabat illam Patrum fuisse sententiam. Et si forte Augustini esset, quod absit, non tamen Augustinum verbo Dei praeiudicare, quippe qui prohibuerit suos libros tanquam canonicos legere, solam autem S. Scripturam canonicae autoritatis esse. Cum haec ita tractarentur, videns *Lutherus* adversarios magis atque magis induratiores fieri, concludit Colloquium, gratias agens *Oecolampadio* et *Zuinglio*, quod caussam tam humaniter

tractassent. Sed quando nollent a sua sententia cedere, se porro ipsos iudicio divino relicturum, et oraturum, ut Dominos ipsos illuminet, et ad viam veritatis reducat. Ibi tum surgens *Bucerus* recitat compendium doctrinae Ecclesiastarum *Argentinensium*. Dixerat enim *Lutherus* in principio Colloquii, multos *Argentinae* errores, si vera sint, quae literis amicorum acceperit, doceri, praesertim de Trinitate. Et cum recitasset, petiit a *Luthero* testimonium, num vera et recta docerent; noluit *Lutherus* vel approbare vel reiicere, affirmans, se nec ipsorum iudicem esse, nec audire eorum conciones, proinde relinquere eos iudicio divino. Et prudenter quidem *Lutherus* faciebat, quando hoc *Lutheri* testimonio potuissent omnes suos errores apud suos Argentinenses vendicare. Posthac soluto conventu Princeps omnem movebat lapidem, si ulla inter nos concordiae via inveniri posset, et unumquemque nostrum seorsim absque arbitris compellens, rogans, monens, exhortans, postulans, ut Reipublicae christianae rationem haberemus et discordiam e medio tolleremus. Nos autem, qui affirmamus praesentiam corporis Christi, libenter adversarios in communionem nostram recepissemus, si ab errore suo declinassent. Quod cum nullo pacto ab eis impetrari potuit, unanimi consensu decrevimus, eos a communione christianae Ecclesiae alienos esse, et non esse a nobis tanquam fratres et membra Ecclesiae agnoscendos. Durissimum hoc videbatur Adversariis, ita ut res pene in contentionem abiisset. Mirum enim in modum ambiebant nostram fraternitatem. Nos admirati hominum illorum varietatem, qui paulo ante suis scriptis nos tanquam adoratores panifici Dei traduxerant, nunc vero fraternitatem et communionem nostram peterent, a sententia nostra semel decreta nihil discessimus. Sed quando etiam Principi illud durum videbatur, sic sententiam temperavimus, ut adversarios nostros Zuinglianos et Oecolampadianos agnoscere quidem velimus tanquam amicos, sed non tanquam fratres et membra Ecclesiae Christi. Quid vobis videtur, mi *Schradine*, de mira illa adversariorum nostrorum varietate? Nonne eo ipso, quo nostram communionem ambierunt, confessi sunt apud nos esse Ecclesiam Christi? Nonne eo ipso fatentur, nostram sententiam in re sacramentaria non esse erroneam? Aut si erronea est, non esse lethaliter, capitaliter, illorum more loquar, mortaliter, sed tolerabiliter erroneam? Nonne eo ipso produnt suam perversitatem, quod gravissime peccarint tanto offendiculo in Ecclesia Christi excitato ob tolerabilem, etiam iuxta ipsorum sententiam, opinionem? Alioqui enim non ambiissent nostram fraternitatem? Haec volui vos, fratres in Christo amicissimi, scire praecipue, ut cognoscatis, quo loco Suermeri habendi sint. Tandem ne nihil egisse videremur, datum est negotium *Luthero*, ut concipiat articulos, in quibus conveniremus et dissentiremus. Concepit autem ille eos, quos habetis articulos, qui sic ab Adversariis, nullo etiam argumento persuasis, recepti sunt, quod mirari non satis potuimus. Quippe qui sciebamus, eos longe aliter antea de Peccato originali, de Baptismo, de Ministerio verbi Dei et de usu Sacramenti Eucharistiae docuisse, quam nunc sua sponte fatentur. — — Fidem vestram hic

adpello, fratres, ut quae scribo typis non invulgentur. Non enim mihi datum est negotium illa invulgandi.

In relatione quadam subitaria Iusti Ionae, qui Colloquio adfuerat, pauca leguntur de Oecolampadio, de Zuinglio vero nihil praeter aliquot iudicia, quale: In *Zuinglio* agreste quoddam est et arrogantulum; in *Oecolampadio* mira bonitas naturae et clementia; in *Hedione* non minor humanitas ac liberalitas ingenii; in *Bucero* calliditas vulpina, perverse imitata acumen et prudentiam. Docti sunt omnes, nihil dubium; prae quibus Papistae non sunt adversarii habendi; sed *Zuinglius* iratis Musis et invita Minerva videtur versatus in literis. V. *Seckendorfii* Commentarii de Lutheranismo L. II. p. 139. 140.

HULDRICI ZWINGLII
SERMONES POPULARES ET VULGARES
IN PSALMOS ET PROPHETAS.

Post longas assiduasque perscrutationes contigit tandem, ut hos libros a Zuinglio relictos, quibus continetur eius „Prophetia" a. 1525. condita, detegeremus et in lucem proferremus. Sermones hi populares et vulgares ad Vetus Testamentum, qui simillimi sunt Additamentis ad Evangelium Matthaei (Vol. VI. T. I.), sicut ceterae explicationes magis philologicae Danielis et minorum Prophetarum iis Commentariis ad libros Veteris Testamenti, qui iam editi sunt (Vol. V.), ideo non inseri potuerunt, quoniam nondum erant reperti atque exigua spes erat fore ut aliquando reperirentur. Itaque cum Operum descriptio intermitti non posset, hi sermones huic volumini, quod post quintum editur, relinquendi erant. Tamquam introductionem praemisimus descriptionem huius instituti, primum auctore Bullingero in Commentario ad Cap. 14. Epistolae I. ad Corinthios p. 235 sq. „Brevibus enarrabimus, quem ordinem in linguis et prophetia observet, restauratore felicis memoriae *H. Zuinglio*, ecclesia Tigurina. In primis exturbavit illa horas, quas vocant Canonicas, cantum quoque linguae peregrinae et theatricam obstreperamque musicam: non quod sacra displiceat lectio aut oratio, illas enim unice restitutas cupit: sed quod plurima in publico coetu cantata ac recitata sunt, quae dogmatis fidei christianae erant adversa, item quae erant superstitiosa et ad quaestum tantum instituta: denique quod illa quoque, quae ex sacris lecta sunt Bibliis, isto prorsus modo abusuque lecta sunt, quo Sciolos Corinthiorum sacra in coetu sancto legisse constat. Omnia itaque semel exturbata sunt, sed in eorum locum utiliora haec reposita. Principio quotidie convenitur exoriente sole ad preces et conciones publicas, in quibus et deus oratur pro his, quae temporis ratio ecclesiam orare iubet, et traditur pietas proposito aliquo ex scripturis loco, qui et vulgari lingua absque omni linguarum involucro explicatur. Deinde vero, quod linguas ac prophetiam attinet abstrusiorem, ea hora, qua prius canebantur Horae canonicae, nunc quotidie coit coetus doctorum maxime. In eo autem tractantur summa cum diligentia ac reverentia libri veteris testamenti. Novi enim testamenti opuscula indies pro publicis exponuntur concionibus. Ceterum nihil hic temere aut confuse peragitur. Series tum librorum tum capitum observatur, neque aliud incipitur, nisi praecedens absolutum sit: imo ne plura quidem praeleguntur, quam quae summo cum otio et accurata diligentia proque dignitate rerum et auditorum utilitate explanari queant. Porro a sacris precibus hic coetus sumit initium. Precantur enim

omnes communibus votis omnipotentem et misericordem deum, cuius verbum lucerna est pedibus nostris et lumen semitarum nostrarum, aperiat et illuminet mentem nostram, ut oracula sua pure ac sancte intelligamus, et in illud quod recte intellexerimus transformemur, quo maiestati eius nulla ex parte displiceamus, per Christum dominum nostrum. Peractis precibus praelegit adolescens stipendiarius ecclesiae iuxta vulgatam (quam Hieronymi vocant editionem eum locum, ad quem prophetae cursu et ordine devenere interpretandum. Stipendio enim ex aerario ecclesiastico aluntur egregia et bonae spei ingenia, atque in artibus, linguis, et literis sanctis instituuntur, ut aliquando ecclesiae unde aluntur rependant ac plurimum sanctis ministeriis prosint. — Ubi vero adolescens eum qui tractandus venit locum Latina lingua recitavit, assurgit lector Hebraeus ac Hebraea lingua eundem locum recenset, sparsim eius linguae idiotismos proprietatesque indicans, iam sensum etiam reddens, aliquoties verbum verbo interpretans sed et Grammaticorum et Rabbinorum recitans sententias. Hoc muneris pridem *Ceporinus*, nunc summa cum diligentia, eruditione et pietate obit D. *Chuonradus Pellicanus* Rubeaquensis, vir de linguis, pietate ac literis optime meritus. Hebraeo succedit lector Graecus, hic Septuaginta interpretum, aut quorumcunque tandem sit, versionem Graecam percurrit, cum Hebraeo confert, et quatenus ab illo discrepet ostendit, aliquoties et restituit, ubique advigilat accurate. Hanc provinciam obiit, quoad vixit, ipse *Zuinglius*. Hac collatione facta versioneque Graecorum interpretata, demum prophetae officio fungitur, qui hactenus praestitit interpretem. Ea enim, quae iam Latine, Graece ac Hebraice lecta sunt, omni diligentia et summa fide enarrat, indicans quomodo praesens ille locus a priscis sit tractatus scriptoribus, quid de eo senserint Iudaeorum interpretes, quid catholici, quid verbis sacris consentaneum, quae verborum cohaesio, structura et vis, quae sententiarum maiestas et proprietas, vis et elegantia, quo omnia referenda: breviter quis genuinus sensus, item quis usus et fructus huius loci, quomodo ex eo fides, pietas, sanctimonia, iustitia, et constantia discenda sit. — Hactenus vero aedificantur linguis et prophetia docti, et qui Latinae linguae periti sunt. Omnia enim ista Latina peraguntur lingua. Proinde ut ad totam quoque ecclesiam, ad ipsum inquam populum promiscuum aliqua redeat utilitas, eundem illum locum, quem hactenus tractarunt sacri interpretes et prophetae, pro publica concione plebi exponunt episcopi, proponentes plebi ea quae aedificationis sunt, consolationis et exhortationis. Interim autem, dum sacra ad hunc modum a prophetis interpretibus et episcopis tractantur, tota ecclesia sedet, omnia quae dicuntur diiudicans, id est, tacite apud se expendens, quo pertineant omnia, quis eorum usus ac fructus." „Es war" (refert J. Jac. Hessius, ecclesiae Tigurinae antistes, in den Sammlungen zur Beleuchtung der Kirchen- und Reformationsgeschichte der Schweiz I. 175), „gewissermassen eine Verbindung vorbereitender exegetischer Uebungen der Lehrer und Studirenden mit dem, eine Stunde später dem im Tempel sich versammelnden Volke zu gebenden, öffentlichen Unterricht. — Anfangs hatte Zwingli beide Funktionen, die, die auf das Hebräische, und die, die auf das Griechische sich

bezog, selbst übernommen, bald aber das Lesen des hebräischen Textes und dessen lateinische Auslegung dem Ceporin (nach diesem dem Pellikan) überlassen, und nur die Lektur und Erklärung der LXX sich vorbehalten. — Unterdessen hatte sich zur Anhörung der sogenannten Neunepredigt das Volk in der Kirche versammelt, und diesem wurde nun gerade dieser von den Gelehrten bisher gelehrt behandelte Abschnitt deutsch vorgelesen und in gewohntem popularem Vortrag erklärt. — Diese homiletisch-populare Bibelübung, in Verbindung mit jener gelehrten, nannte man „„die Prophezey begahn."" — Zum Behuf dieses Unterrichts diente den Ungelehrten jene in einigen Duodezbändchen um eben diese Zeit herausgekommene deutsche Bibel, die sich bequem in die Kirche mitnehmen liess." — Conf. Zuinglii ad Val. Compar. univ. opp. Vol. II. Sect. I. pag. 15. Archeteles III. p. 71. Adversus Hier. Emserum Antibolon III. p. 131. Farrago annotatt. in Genesin Vol. V. p. 1. 2.

Similes scholas Megander et Rhellicanus Bernae instituerunt; etiam Basileae similia fiebant. Eodem tempore, quo hae interpretationes Bibliorum in templo Cathedrali instituebantur, similiter Oswaldus Myconius in templi Sanctae Virginis choro Novum Testamentum explicavit, hora post meridiem tertia. — Commentarii *Zuinglii*, *Bullingeri*, *Pellicani*, *Bibliandri*, *Gualteri* huius instituti *prophetiae* sunt fructus, de quibus valent, quae de suis dixit Pellicanus: „Utcunque has operas nostras passi sumus ad fratrum preces prodire, et edi in subsidium pro simplicioribus, qui linguarum peritia carent, et assiduis praelectionibus nostris interesse non possunt." — Postea cum maior opera daretur systematicae, quae dicitur, theologiae, quam exegeticae, institutum illud utilissimum sublatum est; et in eius locum exiles praelectiones scholasticae de dogmatice successerunt, a solis theologiae studiosis frequentatae.

LIBER PSALMORUM
SERMONIBUS VULGARIBUS ILLUSTRATUS
AB HULDRICO ZUINGLIO.

Fontium, e quibus haustum hoc Zuinglii opus, haec nobis facta est ab amico quodam socio nostri laboris descriptio critica, ad instruendum lectorem tum de origine operis, tum de ratione exscriptionis typographicae:

Diese homiletischen Ueberreste stehen in der engsten Verbindung mit dem in Zuinglii univ. opp. Vol. V. pag. 297—482. abgedruckten Enchiridion Psalmorum, quos Zuinglius ex hebraica veritate latinitati donavit — schon in Hinsicht der Quellen. Jenes latinische Enchiridion haben wir genommen aus der Gwalterschen Gesammtausgabe Tom. III. Einzeln hatte es Leo Judae schon 1532 in 12. herausgegeben. Die daneben gestellte deutsche Uebersetzung Zwinglis, welche ohne Zweifel älter als die latinische ist, und zufolge der unten angeführten Notiz vor dem St. Georgentag 1525 vollendet seyn musste, ist in besagtem Vol. V. zum ersten Male aus dem Autographum abgedruckt worden. Dieses Manuskript ist wirklich so eingerichtet, dass man nicht zweifeln darf, Zwingli habe es zum Gebrauche in der sogenannten Prophezey ausgearbeitet. Denn es ist durchweg in drey Spalten getheilt, deren die erste rechts — die zu erklärenden hebräischen Texteswortc, die zweyte die vollständige deutsche Uebersetzung mit öftern Varianten, die dritte die zur Erläuterung dienenden griechischen Wörter und Stellen der LXX enthält. Die Summarien sind in der zweyten Spalte deutsch, in der dritten meistens gleichförmig latinisch angegeben. Einzelne kurze latinische Erklärungen und Bemerkungen finden sich zerstreut in der ersten und dritten Spalte so wie auch am Rande.

Diese deutsche Psalmenübersetzung Zwinglis wurde sodann von einem der Gelehrten oder Studierenden aus dem Manuskripte in Folio mit grossem Fleisse wörtlich getreu in Quartformat abgeschrieben, und dann in den Lektionen von der gleichen Hand die homiletischen Erklärungen und Anwendungen aus Zwinglis Munde auf den breiten Rand und den übrigen leeren Raum aufgezeichnet. Beynahe alles Deutsche ist von dieser ersten unbekannten Hand geschrieben. — Eine zweyte Hand, derjenigen des Bibliander, und noch mehr der des Mykonius ähnlich, hat das meiste Latinische, daneben sehr wenig Deutsches, bey den Psalmen 15. 16. 18. 20. 29. 30. 32. 33. 35. 42. 46. 47. in den von der ersten Hand offen gelassenen Raum hineingeschrieben. Die Anmerkungen bey den Psalmen 5. 10. 34. 37. 44. sind ganz dieser zweyten Hand zu verdanken, so wie auch bey Psalm 8. — Bey diesem letztern und bey den Psalmen 73. und 77. erscheint dann eine dritte,

wohlbekannte Hand; die des Leo Judä, welcher aber an allen drey Orten keine Anmerkungen, sondern eine verbesserte Uebersetzung in den von der ersten und zweyten Hand noch offen gelassenen Raum neben die erste Zwinglische hineingeschrieben hat. — Dieses zweyte Manuskript hat keinen besondern Titel; es ist aber demselben vorangebunden eine auf dem gleichen Papier, in dem gleichen Format und gleich liniert von einer vierten Hand angefangene, aber nur bis zum 7ten Vers des 21 Psalms fortgesetzte, neue (zweyte) Abschrift der Zwinglischen deutschen Psalmenübersetzung — mit dem ohne Zweifel für den ganzen Band geltenden Titel: „Das buech der Psalmen. Wie maister Huldrich Zwingli hatt angefangen zue predigen an sant Georgen tag im grossen Münster zue Zürch *Anno dni* 1525.“ Unten auf dem Titelblatt, vom Buchbinder der Länge nach entzwey geschnitten, aber noch erkennbar genug, steht der Nahme „Wilhelm von Zell“, und aussen auf dem pergamentenen Einband „*Collect: in psal: W. Z.*“ Diese unvollendete Abschrift und der innere und äussere Titel, wenigstens der erstere, sind, näher betrachtet, von der gleichen Hand, und die Orthographie verräth durchweg eine nichtschweizerische Mundart. Lauter Umstände, die es wahrscheinlich machen, dass der Edle Wilhelm von Zell von Strassburg, ein Freund und Verehrer Zwingli's, welcher laut eines Briefes von Michael Keller, Prädikanten zu Augsburg, an Zwingli's Witwe, vom 11. November 1531, damals bey derselben in Zürich sich aufhielt, die erste Abschrift mit den beygefügten Erklärungen in seine Hände bekommen, dieselbe für sich habe abschreiben wollen, und seiner begonnenen Arbeit den gebührenden Titel vorangesetzt, dieselbe aber, da er aus irgend einem Grunde das Vorhaben aufgeben musste, sie zu vollenden, mit dem andern Manuskripte habe zusammen- und des Titels wegen demselben voranbinden lassen. — Diesem Manuskripte verdanken wir auch die Rettung der Uebersetzung des 150 Psalms, welcher im Autographum Zwingli's ausgeschnitten worden, und daher auch im Abdruck desselben Vol. V. pag. 482 mangelt.

Noch ist für den Leser zu bemerken, dass solche Anmerkungen, die Zwingli selbst schon im Original mit eigener Hand gemacht, von den durch Andere aus seinem Munde aufgefassten im Drucke durch Cursivschrift unterschieden worden sind. In gleicher Gestalt sind einige Uebersetzungsvarianten, welche seiner Zeit dem Auge des Herausgebers entgangen sind, und diejenigen latinischen Summarien des Originals, welche mehr enthalten als die in Vol. V. abgedruckten deustchen, hier nachgeholt. Alles in eckige Klammern Eingefasste ist hingegen Erklärung oder Anmerkung des Herausgebers.

Psalm I.

In dem rat der gottlosen, *oder*: *der rouwen.*

Dann der herr kennt ectr. *Notum esse deo placere est.*

Psalm II.

In universum hoc agit, ut doceat ultimam esse stultitiam,

vi aut humano consilio obniti voluntati (divinae) domini, quem enim ille unxerit regnaturum. Ideo monet, ne temere tumultuemur. Tracta similitudine ab interregnis, ubi quique quaeque moliuntur. Attamen ad Christum attinet. Videmus omnia ad verbum in eo expleta, quae hic continentur. Act. 4. et Hebr. 1.

Die lüt tönend, *oder: mümlend, tösend.*

Die gwaltigen sind zemen ggründt. [Vol. V. pag. 298. steht unrichtig grennt.]

Und mit sinem grimmen sy schüch machen, *oder: verwirren.*

Ich wird uskünden das gebott. *Regum enim est mandata sua promulgare.*

Werdend züchtig jr richter der erden. *Erudimini.*

Umvahend den sun. *Osculamini.*

Psalm III.

Tentationis ingenium est, ut ante omnia ad impatientiam trahat, quam fides mox ut respiraverit eliminat.

Ich bin glegen und entschlafen, *sine dei negligentia, sine desperatione.*

Ich bin erwachet, *oder: erweckt.*

Bym herren ist heil, *oder: hilf.*

Psalm IV.

Ir menschenkind, *jr sün, jr sygind, wer jr wellind.*

An üwrem bett, *et in cubilibus. Et — non habetur apud Hebraeos et LXX.*

Ich will mich schlechts legen und schlafen. *Oder: Ich will mich im friden (beede mit einander) legen und schlafen.*

In gwüsser hoffnung wonen, *vel: sitzen, vel: ruowen.*

Psalm V.

Explicat hereditates duas, et finem utriusque describit ac ingenium.

Dann ich wird dich bitten, *vel: zuo dir ein bitt thuon.*

Die töubrich. הלל, *insanivit, inique, stolide egit.*

Unrecht, *ἀνομίαν, vanitatem.*

Herr leit' mich in diner grechtigkeit ectr. Fac id agam christiano instituto probatus. Notas fac mihi domine vias tuas et semitas tuas doce.

Dann in jrem mund ist nüts vests, *firmum, rectum. LXX. ἀλήθεια, probo hanc interpretationem.*

Mach sy verirret o gott ectr. Tua ultione declara sceleratos esse, ut suis consiliis cadant et pereant, et in foveam cadant, quam nobis struant.

Um der vile jrer sünden ectr. Poena est.

Dann sy sind dir widerwärtig, *rebellarunt, fidem fregerunt.*

Aber es erfröwind sich alle ectr. Non mihi solum tua constitutione objuturus. Orandum ut nos dominus in viam rectam deducat.

Dann du haltest ob jnen. וחסך, *operuit, obduxit, texit.*

Psalm VI.

Ich hab gearbeitet mit minem süufzen. *Chaldaei: Lassatus sum.*

Veraltet under allen minen fygenden, *ἐν πᾶσι τοῖς ἐχθροῖς μου, dictum est pro — tot inimicis meis.*

Der herr hat min bitt gehört, *desiderium ad implorandam gratiam.*

Psalm VII.

Dass er min seel nit zerzeer. LXX: *ἁρπάσῃ, rapiat — humilius est.*

Bekeert man sich nit, so hat er sin schwert gewetzt, *oder: so wirt er es wetzen.*

Psalm VIII.

[Sequens versio germanica manu Leonis Iudae juxta textum Zwinglianae originalem in margine scripta est.]

Herr unser herrscher, wie herrlich ist din nam in allen landen, da man dir dankt im himmel.

Us dem mund der jungen kinder und söuglingen hastu ein macht zuogericht um diner fyenden willen: das du schwygst den fyenden und den raachgirigen.

Denn ich wird sechen die himmel, diner finger werk, den mon und sternen, die du bereitet hast.

Was ist diser mensch, das du sin gedenkst: und des menschen sun, das du uf jn sichst?

Du wirst jn ein wenig lassen manglen an gott, aber mit eeren und zierd wirstu jn krönen.

Du wirst jn zum herren machen über diner händ werk. Alles hast du under sine füess gethuon,

Schaaf und ochsen all eins mals, darzuo ouch die wilden thier,

Die vögel under dem himmel, und die fisch im meer, und was durchwandlet die weg im meer.

Herr unser herrscher, wie eerlich ist din nam in allen landen.

Wie treffenlich etc. Quam admirandus es..... contigit immensa bonitas divina, latitudo, longitudo. Perenna virium amplitudo suscipienda est in omni terra. Bonitas; nam magna est bonitas tua super caelos, et usque ad nubes veritas tua. **Us dem mund** etc. Tunc, cum illa invicta cunctis hostibus dei praedicatione evulgatur. Confractus hostis et ultra satan cum omni suo satellitio per evangelium, omnis illi vis et potentia adimitur regnante Christo in omnibus, qui evangelio fidem habent. Demiratur immensam bonitatem dei in nos mortales, etiam insani si oppugnant, fideles tamen et pueri depraedicant.

Gfangen ze nemen den fygend und den richlichen, den rächlichen [rachgierigen], ultorem.

Dann ich wird sehen dine himmel ectr. *Omnibus consideratis vincit omnia homo.*

Die du zuogericht hast. [Fehlerhaft hat das Quartmanuskript: zuogerüst.]

Und das menschenkind, dass du jn rechnest, *oder*: *zälest*.

Psalm IX.

Du hast die heiden bescholten, *oder*: *die völker*.

Er vergisst nit des geschreys der armen, *adflictorum, humiliatorum*.

Herr setz jnen einen gsatztgeber. *Chaldaei: Incute timorem*.

Herr warum stastu so ferr? *Hebracis decimus psalmus hic incipit*.

Er sitzt in der luss der höfen, *villorum*.

Psalm X.

